

103660

II 1859/60

PROGRAMM

DES

KÖNIGL. MARIEN-GYMNASIUMS ZU POSEN

für das Schuljahr 1859/60.

INHALT: 1. Metonymiae ratio e scriptoribus Latinis explicata, vom Prof. Wannowski.
2. Schulnachrichten, vom Direktor.

PROGRAM

KRÓLEWSKIEGO

GIMNAZYM Ś. MARYI MAGDAŁ. W POZNANIU

na rok szkolny 1859/60.

Zawiera: 1. Rozprawę Prof. Wannowskiego: Metonymiae ratio e scriptoribus Latinis explicata.
2. Wiadomości szkolne, przez Dyrektora.

POSEN,

Buchdruckerei von M. Zoern.

1860.

POZNAN,

czcionkami drukarni M. Zoerna.

1860.

Pedag. pols. 1069.

103601
1822/00

103660

105885
1859/1860



UNIV. OF ILL. LIBRARY

John W. Smith

Cum ante duo annos sollemnia dedicationis novi gymnasii celebraremus, programmatis loco pauca scripsi, non ut metonymiae rationem explicarem; nam ejus modi quaestio paucis paginis vix attingi, nedum explicari potest — sed ut exempla minus nota figurae huius proferrem, ex quibus quanta esset hoc in genere scriptorum, maxime poetarum latinorum licentia patesceret. Rem hanc paulo accuratius tractare iam antea percupii, sed occasio opportuna deerat, quam nunc oblatam libens arripui, non quod putarem, scriptum hoc magnam quandam lucem litteris hic porrecturum esse damnoque iis fore, si diutius silentio premeretur, sed quia laceram istam particulam quam primum explere officii mei duxi. Sane, quum quae in schedis meis notata habeo, percensere et ordinare coepi, mox intellexi, difficile esse singula ad certas classes revocare, diversa et audacissime colorata ita digerere et enarrare, ut non solum nubes exemplorum excitaretur, sed res tota ratione disposita et subtilius perpolita uno in conspectu videretur. Multum quidem operae consumsi in ordinanda mole diversorum exemplorum, sed confiteor ingenue, vereri me, ut lectoribus satisfecerim; plura enim, maxime apud poetas posterioris aetatis, ita praeter rationem, vel inepte etiam dicta inveniuntur, ut omnem conatum ea ad certa capita redigendi eludere videantur. Egregiam hoc in genere operam navavit Hertzbergius, vir doctissimus, in Quaestion. Propertianarum libro secundo p. 149. seqq., cuius vertigiis equidem insistere poteram; sed Hertzbergius Propertii solius elocutionem explicavit, equidem, cum omnium fere poetarum usum explanandum mihi sumsissem, plura inveni diversi generis, quae eadem ut certo quodam loco collocarentur, coactus fui ab ingeniosa eius partitione discedere, et minus quidem subtilem, universo tamen argumento non plane inconvenientem rationem inire. Totam igitur disputationem in duas, quod ratio ipsa suadet, partes divisimus; in altera agitur de abstracto, quod vulgo dicunt, pro concreto posito, in altera contra de concreto, quod locum abstracti tenet. Prior dispertitur in sex capita; i. e. de figura orationis, ex qua affectus et animi habitus, affectu hoc excitatus, ponitur pro *homine*; tum percensui locos, quibus actio hominis, virtus vel vitium, quo erat insignis, id quod perpressus erat et conditio omnino, in qua aetatem degebat, pro homine ipso dicuntur, aut tantummodo periphrasi inserviunt, ut *nomen*, *indoles*, alia; tertium caput complectitur recensum eorum, quibus non *homo*, sed *res* significatur vocabulo abstracti, ubi pro instrumento ponitur id, quod instrumento efficitur, effectus pro causa; contra, id quod efficit pro eo, quod efficitur; tum paucis explicavi illam immutationem, ex qua *mentis actio* confunditur cum eo, quod haec actio spectat; tandem illam, ex qua, quod proditur re, pro re ipsa ponitur vel pro signo. Sequitur altera pars continens contrariam inflexae significationis rationem, *concreti* pro abstracto usum. Hic primum disputavimus de locis, quibus nomen viri (etiam dei) ponitur pro re, quam quodammodo repraesentat,

pro opere, quod confecit; pro potentia, quae in eo inest; tum quibus res sub sensum cadens est pro ea re, quae illa peragitur, quae illi adhaeret; deinde ubi materia est pro re inde fabricata; tum ubi pars vel insigne pro toto exhibetur; ubi res ponitur pro eo, quod in ea invenitur; locus, pro eo, quod in hoc loco accidit. His addidimus unum caput, quod sane cum argumento proposito minus cohaeret, tamen non plane ab eo est alienum, id est de neutris adjectivorum loco substantivorum positus, ita ut alterum adjectivum iis adjungatur. Ipsi sentimus, partitionem hanc minus esse exactam nec usquequaque subtiliore ratione determinatam; fortasse qui haec nostra legent, non unum exemplum minus apposito loco prolatum atque ad aliud caput pertinere dicent; at, utut est, hac sententia certe me consolor, copiam exemplorum ipsam hoc in genere non plane esse supervacaneam, cum inde optime perspicui possit, quantum veteres in figuranda oratione sibi indulserint, quantopere a nostro sensu et iudicio elegantiae discesserint. Exempla in lexicis nostris commemorata aut plane omisi, aut breviter tantum indicavi; maior pars eorum, quae protuli, quod sciam, in lexicis desideratur. Explicationes sententiarum omnibus fere locis addidi, quas fortasse lectores supervacaneas esse iudicabunt; loci tamen e medio sententiarum tenore avulsi, nisi adiungatur explanatio, fiunt obscuriores atque metonymias eiusmodi interpretari et veteres editores, et nostrae aetatis doctissimi non sunt dedignati.

§. I. Prima, late patens denominationis ratio haec est, ex qua affectus et animorum habitus, affectu excitatus, pro homine ponitur. Sunt hoc in genere plura omnibus linguis communia, alia per jocum a comicis ficta, quorum in programme nostro mentionem fecimus nec h. l. repetere volumus. Hoc tantum dicamus, omnia haec duplici sensu accipi posse, activo et passivo, ita ut v. c. *amores* et *amatam* significet et *amantem*. Pauca exempla proferre operae pretium videtur. Apud Plaut. Pers. 2. 2. 11.

Scio *fidei* hercle *herili* ut soleat impudicitia obprobrari — servus ipse hero *fidelis* designatur. *Cura*, quod plerumque pro *amica ipsa* legitur, alteram recipit significationem apud Ovid. Heroid. 1. 103. (edt. Jahn.)

Huc faciunt *custosque boum longaevaeque nutrix*,

Tertius *immundae cura fidelis* harae —

i. e. is qui curam habet harae, eam administrat, ut A. A. 1. 155.

Cui deus: En adsum tibi *cura fidelior*, inquit. —
et Sil. Italic. 5. 45.

At *cura* umbroso servabat vertice montis

Hostilem ingressum —

ubi Hannibal dicitur *cura*, od omnia intentus, vel speculatorum et excubitorum custodia et statio. Similiter *spes* vulgo dicitur, qui spem de se facit, ut filii sunt *spes* parentum, quemadmodum posteriores scriptores absolute *affectum* usurpant, ut Claudian Epigr. 69.

Sanguinis affectum mater amare timet —

i. e. *filium*; at apud Sil. Ital. 16. 505.

..... sed *prima* coronae

Spes trepidat tantis venientibus Eurytus alis —

spes prima coronae dicitur, qui primum victoriae praemium consecuturum se esse sperat, plane ut Stat. Theb. 6. 325.

Oebalios sublimis agit *spes proxima* palmae

Amphiarus equos.

Sic etiam *luctus* dicitur homo, qui moerorem affert, non modo apud Ovid. Metam. 1. 654., sed etiam apud Auson. Parent. 11. 1.

Tu quoque maturos, puer immature, dolores

Irrumpis, moesti *luctus* acerbus avi.

Pudor non modo eum significat, qui pudorem incutit efficitque, ut alterum pudere debeat, ut apud Lucan. Phars. 5. 59. Pompejus dicitur *Fortunae pudor* crimenque deorum, ubi cf. Cortium, sed etiam ipsum pudibundum. Seneca Troad. 89.

... Cui conjugio

Pectora velas, *captive pudor* —

i. e. tu pudica, nunc autem captiva, cur habitu es decenti, cum nunquam fruitura sis legitimis nuptiis. Ibid. Herc. Oet. 1792.

.... Forsitan poenas petet

Irata Juno; *totus* uretur *dolor* —

dolor totus significat Herculem et universum eius genus, inprimis Alcmenen, quam excruciat dea irata. Valer. Flacc. Argon. 2. 143.

.... aut nostros, inquit, prius unda *dolores*

Obruat —

i. e. Thressas mulieres, quae nobis dolori erunt. Ovid. Met. 10. 198. Apollo Hyacinthum a se interceptum, *dolorem* facinusque suum appellat, quod neminem offendet.*)

Odium pro eo, qui alterum odit, non solum apud Plautum est, sed satis insolenter apud Valer. Maxim. 3. 7. 5. „fiducia, quae duobus *acerrimis odiis* latera sua cingere ausa est“ i. e. vir, qui salutem suam duobus acerrimis inimicis suis commisit. Mittimus notissima illa Catulli 2. 5.

Cum *desiderio* meo *nitenti*

Carum nescio quid libet iocari —

et ibd. 17. 21., ubi *meus stupor* dicitur *seneae stupidus*, vel ibd. 42. 3. *jocum me* esse putat moecha turpis — i. e. dignum, quem ludat, atque ad Tibullum transimus, cuius orationem troporum ornamentis parce variatam esse interpretes iam docuerunt. Huc pertinet 1. 2. 11.

*) Insolentissime dixit Prudent. Peristeph. 5. 261.

Totum cubile spiculis

Armant *dolores anxii* —

quod profecto aliter explicari non potest, quam ex sententia Mignii, *dolores anxios* esse fragmenta ipsa testularum, quibus dolores efficiuntur. cf. §. 3. At inepta plane ibd. 6. 66.

Percussus cedit (gladiator) et fremit *voluptas* —

i. q. spectatores exsultant gaudio; contra simplicia nec digna, quae commemorarentur Mamertini Grat. actio Juliano c. 29. „Nimiae laetitiae decoris sunt immemores.“

et mala si qua tibi dixit *dementia* nostra —
(quo loco cf. Dissenium) et multo insolentius colorata 4. 1. 141.

rapidus, *Cyri dementia*, Gyndes

aret Arecteis haud una per ostia campis —

ubi *fluvius* dicitur *dementia* Cyri, aut quia cum Cyrus impie in alveos derivavit et imminuit, aut quia Cyrum, equite amico demerso, in aegritudinem et furorem impulit. Propertianum 1. 2. 16.

Non Idae et cupidō quondam *discordia* Phoebo

Eueni . . . filia —

explicavit Hertzbergius Quaest. p. 151. cujus disquisitionem acutissimam et copiosam cum repetere nollem, factum est, ut omnino, quae ad Propertii elocutionem pertinent, in transcurso tantum indicarem. Sic *fiducia* dicitur Titus ipse Tacit. hist. 2. 4. „Titus . . . suspensis provinciarum . . . mentibus ingens rerum *fiducia* accessit“, ubi cf. Waltherum; at multo insolentius Ovid. Halieut. 58.

Foedus . . . pervolvitur ursus

Quid nisi pondus iners stolidaeque *ferocia* mentis —

ubi *ursus* dicitur ipse mera *ferocia*, ut apud Plaut. Pers. 3. 3. 20. *servus* audit *solida servitus*, apud Petron Satir. 43. *discordia*, non homo; Senec. consolat. ad Martiam c. 17. „tantae futuros turpitudinis, ut ipsi *maledicta sint*.“ — Alio sensu Lucan. 7. 557. Caesar dicitur *rabies* populis stimulusque furorum, i. e. qui populos in rabiem agit, et *ira* dicuntur, qui ab irato missi sunt apud Valerium Flacc. 4. 427.

Insuper Harpyiae Typhonides, ira Tonantis.*)

Locos, quibus affectus ponitur pro re, affectum excitante, infra §. 3. explicabimus.

§. 2. Accedamus ad alterum caput, quod continet id metonymiae genus, ex quo vocabula significantia actionem, perpeſsionem, eventum, fortunam, cui quis succubuit, conditionem vitae, pro

*) Apud recentiores virtutes et affectuum nomina in allocutione et titulis poni pro homine hac virtute insigni, in vulgus notum. Jam apud Valerium Maximum plura id genus inveniuntur; *mea parvitas*, *mea mediocritas*: decursu temporis perversae huius elegantiae usus mirum quantum percrebuit; nos h. 1. ex solo Symmacho exempla proferamus, ut haec affectatio quam late patuerit cognoscatur. Epist. 4. 45. „misi ad *eruditionem tuam* duas oratiunculas.“ 5. 9. „Vereor *eloquentia tuae* scripta mea committere“ i. e. tibi tanto oratori. 5. 38. „Eos, qui ad *praestantiam tuam* relictā urbe contendunt“, quae lectio non est sollicitanda. Sic pro *amicis* saepe dicit *unanimitas*. cf. Epist. 6. 7. „credo enim sanctae *unanimitati vestrae* (i. e. vobis, Nicomachi filiis) incomperta non esse“; et vel ad *unum* scribens 6. 61. „Sed longum est opperiri *unanimitatis tuae* litteras.“ ut 6. 25. „Sapricius . . . diligentiam sanctae *unanimitatis tuae* sine stipulatore meruisset.“ Simili modo pro *amico* usurpat saepe vocabulum *amabilitas*. cf. 7. 3. „Secundas ad *amabilitatem tuam* litteras mitto“; — 7. 4. „Haec eo scribo, ut *laetitia amabilitatis tuae* spe meliore pascatur“, qua in re hoc mirandum, quod prioribus sex Epistolarum libris ne semel quidem vocabulum hoc sic usurpatum invenimus. Alia honoris causa dicta sunt: *eximietas*. cf. Epist. 8. 63. „Spem visendae *eximietatis tuae*“; *laudabilitas*, 9. 25. „Quantum *laudabilitas tua* . . . contraxit invidiae“, *religio*, 6. 24. „qui de nobis apud *religionem vestram* plura narrabit“; — *sanctitas*; cf. 6. 20. „*sanctitatis vestrae* reditum spes vicina promittit“; in titulis autem principum erat *aeternitas*; *perennitas*; ut 10. 19. „Et tamen amor *perennitatis vestrae* acuit desideria plebis“; *serenitas*. 10. 21. „Ea quae *serenitas vestra* Patribus deliberanda legavit“; *tranquillitas*; cf. 10. 46. „Quamvis mihi *tranquillitatis vestrae* delegatione mandatum“; *clementia*; 10. 30. „Quos *clementiae vestrae* multiplex occupatio probare non potuit.“ Nonnunquam verbum additum dictionem magis affectatam reddit, ut 7. 114. „*spes visendae praesentiae tuae*.“ 10. 54. „*parens culminis vestri*“ et quae sunt id genus alia.

homine ipso posita sunt; ut *mea poena pro ego punitus*. cf. Hertzberg. l. l. p. 149. *Fortuna mea* dicitur is, cui omnem meam felicitatem debeo Lucan. 7. 250.

O domitor mundi, *rerum fortuna mearum*,

Miles, adest toties optatae copia pugnae:

Huc referenda *crimen, nefas, poena*, quae varia significatione usurpantur. Ovid. Amor. 2. 18. 37.

Et Paris est illic et adultera, *nobile crimen* —

ubi Sen. exhibet *carmen*, quod etiam defendi potest, ut infra demonstrabimus, sensu activo dicitur; aliter apud Sil. Ital. 6. 84.

. . . . te, maxime, vidi

Ductorum *crimen culpamque* Tonantis,

Occidere —

i. e. qui invidiam Jovi fecisti, cum te occidere passus sit; aliter Senec. Medea v. 245.

. . . . Si placet, damna ream;

Sed redde *crimen* —

i. e. Jasonem, ob quem crimen commisi. Apud Lucan. 8. 550. Magnus (Pompejus) dicitur *Caesaris nefas*, cum a Caesare esset occisus; Stat. Theb. 5. 592.

. . . . huc magno cursum rapit effera luctu

Agnoscitque *nefas* —

i. e. puerum ab angue interemtum; ut Lucan. 2. 265.

. . . . quis nolit . . . *scelus* esse tuum —

i. e. a te occidi. Lucan 9. 1087.

Poena fugae Ptolemaeus erat —

i. q. fugam meam Ptolemaeus punisset; at Claudian. in Rufin. 2. 405.

Felix illa manus, talem quae prima cruorem

Hauserit et fessi *poenam* libaverit orbis —

Rufinus ipse dicitur *poena orbis*, ut Eutropius *eorum crimen* i. q. perniciēs, pestis generis humani delenda. Similis generis, sunt Stat. Theb. 7. 607.

. . . . moerenti iuvenis iacet *ultio* Baccho —

i. e. iuvenis, cuius morte Bacchus vindicatur, et Claudian. in Eutrop. 2. 20.

At vos egregie purgatam creditis aulam,

Eutropium si Cyprus habet *vindictaque* mundi

Semirir exsul erit —

i. e. si exsilium eunuchi toti orbi in vindictam sufficiat. Mittimus Senec. Oedip. 874., ubi vir dicitur *exitium* juris, at insolentius dictum ibd. Herc. fur. 770.

Stygiae paludis ultimos quaerens sinus

Foecunda mergit capita *Lernaeus labor* —

i. e. hydra cum magno labore ab Hercule devicta, plane ut ibd. Herc. Oet. 1931.

Teque *labores*, o gnate, timent —

hi omnes, quos tu vicisti laborando. Valerius Maximus, qui inter prosae orationis scriptores fortasse maxime hac figura abutitur, 6. 9. 14. C. Marium maximam fortunae *luctationem* dicit i. e. qui maxime cum adversa fortuna luctatus est, ut 8. 1. 4. P. Claudium maritimarum virium praecipuam *iacturam*, qui vires Romanorum maritimas imminuit, vel perdidit. Qua de re ibd. 9. 1. 3. „Xerxes quanta, dum deliciis nimis capitur, amplissimi imperii *ruina* evasit!“ ita explicandum, ut rex ipse *ruina*, auctor interitus imperii dicatur.*) Jam *accessio* de hominibus dici, scimus omnes ex Livio, audacius tamen deflexit orationem Valerius 9. 1. 5.: „Iam Ptolemaeus rex *accessio* vitiorum suorum vixit“ quod recte explicant: — praecipuum fuit in Ptolemaeo non ipse, sed vitia, quorum quasi additamentum vel pars erat. Conferri potest *incrementum*, quod de homine dicitur non modo locis a lexicographis allatis, sed etiam apud Nazarium Panegy. Constant. Aug. c. 27., ubi Constantinus Caesar *incrementum boni publici* praedicatur. — Sic *mors* et *fames* miram recipiunt significationem. *Mortem* idem esse atque corpus mortui vel umbras Plinii exemplis iam olim comprobavimus, additis etiam locis ex Sil. Ital. 6. 32.

. atque *iniecta morte* tegebat (aquilam) —

i. e. corpore suo cadens; et ibd. 13. 544.

mortem exercet inanem (Rhadamanthus) —

umbras mortuorum vexat poenis. Sic iam apud Propert. 3. 13. 22.

Nec sit in Attalico *mors* mea nixa toro —

ne plura repetam iam ab aliis notata. Sed etiam *fatum* sic pro umbra vel manibus ponitur Propert. 3. (4.) 13. 63.

Sola Parim Phrygiae *fatum componere*, sola

Fallacem patriae serpere dixit equum —

quae verba Hertzbergius non ita explicat, ut *componere* idem sit ac *machinari*, sed accipit pro sepeliendo atque *fatum* Trojae dicit esse idem ac *Trojam mortuam*. Apud Lucan 6. 632.

Fata peremtorum pendent iam multa virorum —

i. e. mortui ipsi, animae eorum dubiae pendent. Huc etiam rettulerim *umbrae* pro homine coeco Stat. Theb. 11. 752.

Atque haec ecce *tuis* tellus habitabilis *umbris*.

Fames quomodo usurpatum sit dixi in programm. p. 6. prolato loco ex Stat. Theb. 12. 172.

. timor omnibus ingens

Quae (iuvenca) placeat, quos *illa* *fames* descendat in armos —

i. e. in quamnam juvencam famelica illa bestia impetum factura sit. At multo insolentius et diverso sensu Valer. Flacc. 5. 614.

*) Obscuriora sunt illa Senecae Epist. 5. 11. (51.) „Linterni Scipio honestius, quam Baiis exsulabat; *ruina ejus* non est tam molliter collocanda.“ Estne *ruina ejus* ipse calamitate oppressus? Sed offendimus in praesenti tempore est collocanda, pro quo exspectaveris erat collocanda. At apud Sil. Ital. 3. 565.

Quo Trojae extremos cineres sacramque *ruinam*

. . . feramus —

ruina est, quod iam interpretes viderunt, *Palladium διππετές*.

Luxurians *spargitque famem* mutatque cruores —
ubi nihil mutandum; est enim spargit: in diversas partes facit impetus, fame excitatos. Martial.
autem Epigr. 3. 7.

Quid cogitatis, o *fames* amicorum —

famem dicit patronos, qui nihil dando clientes suos perire cogunt. Multo simplicius est illud Propertii 3. 5. 4.

... bibat nostra *sitis* —

cf. Hertzberg. 1. l. p. 149. 150.

Sic etiam virtutes et facultates ingenii pro homine dicuntur. *Facundia linguae* bis apud Ovidium pro oratore legitur. Epist. ex Ponto 1. 2. 69.

Suscipe Romanae *facundia*, Maxime, linguae —

et ibd. 2. 3. 75.

Me tuus ille pater, Latiae *facundia* linguae —

quemadmodum apud Valer. Maxim. 8. 9. 2. „Sic quidem *maxima* tunc *eloquentia* quæta est.“ Caesar ipse dicitur eloquentia; et apud Lucan. 1. 270. de Curione:

Vox quondam populi libertatemque tueri

Ausus —

ubi v. Cortium.*)

Et quæ ad *bellum* et casus bellorum referuntur sic usurpata invenimus. Lucan. 2. 490.

... *victoria* nobis

Hic primum stans Caesar erit —

ut ibd. v. 708.

Exigua est fugiens *victoria* Magnus —

quæ aliter dicuntur atque ibd. 4. 660.

Romana hos tenuit primum *victoria* campos —

Roma victrix, victrices Romanorum copiae. Sic *clades* dicitur is, qui cladem accepit, aut intulit, non modo apud Virgil. Aen. 6. 844., sed etiam apud Valer. Maxim. 4. 4. 46. „Regulus primi punici belli *gloria cladesque* maxima“ — ut Tibull. 2. 1. 34. „Messala magna intonsis *gloria* avis.“ Audacissima sunt Lucan. 8. 860.

... nunc est pro numine summo

Hoc tumulo *Fortuna* iacens —

ubi *Fortuna* ipse est Pompejus, qui post praeclara facta tandem misere occubuit. Quæ Cortius h. l.

*) Ad significandas hominis optimi laudes aliis etiam abstractis utuntur scriptores posterioris ætatis. Auson. Ep. 17. Symmachum dicit „ex omni bonarum artium ingenio collectam *perfectionem*“, quæ eadem verba leguntur apud Symmach. Epist. 1. 26. — satis putide, ut Claudian. de Mallii Theod. cons. 135.

... Malli, sincera bonorum

Congeries —

in quo omnes virtutes conjunctæ sunt. Aperta sunt Senec. de benef. 6. 30. „monstrabo tibi, cujus rei inopia laborent *magna fastigia*“ i. e. cives primi fastigii, vel apud Valer. Maxim. 5. 10. 2. (extern.) „Xenophon, *proximus* a Platone felicis ac beatæ facundiae *gradus*“ — sed plane obscura apud Macrob. Comment. in Somn. 1. 6. 23. „Idem scimus secundum Platonem, id est secundum ipsius veritatis *archanum*.“ Jahnus silentio hæc transmisit; nobis non satis liquet, qui Plato veritatis *archanum* dici potuerit, qui archana et penetralia veritatis reclusit.

congressit, plane diversi sunt generis. Nam *fortuna* inservit quidem circumlocutioni, sed tantummodo addito genitivo nominis, vel pronomine; h. l. autem absolute positum magnopere offendit. Paulo insolentius etiam Sil. Ital. 5. 269.

. atque ubi *plurima virtus*

Nullique adspirare vigor —

i. e. ubi maximus fortissimorum virorum numerus erat nec cuiquam animus propius accedendi; et Lucan. 7. 72.

Humani generis tam longo tempore *bellum*

Caesar erit —

belli causa et auctor; aliter atque apud Valer. Flacc. 6. 617.

. infesta rarescunt cuspide *pugnae* —

i. e. numerus hostium pugnantium imminuitur, dum cuspide caeduntur. Sil. Ital. 17. 425. *periuria Graja* resignat — est Macedonas periuros frangit. — Quamquam in vulgus notum, nomina *aetatem* significantia nonnunquam poni pro hominibus (cf. Hertzberg. p. 149.), inveniuntur tamen hoc etiam in genere multa audacius novata. Sic Stat. Theb. 10. 565.

Una *omnes* eadem subit formido per annos —

i. e. homines omnium aetatum et generis, et Valer. Flacc. 8. 409.

. . . fallique sinit nec *virginis* annos —

i. e. aetatem virgineam vel virgines. Incerti auctoris Octavia v. 72. nutrix ipsa ita se alloquitur:

. . . Cessas thalamis

Inferre gradus, *tarda senectus* —

tu senio confecta; quicum conferenda Sil. Ital. 2. 641.

. inter miserae lamenta *senectae* (matris)

et ibd. 7. 306. Fabius dicitur ab Hannibale *illa senectus*. In antiqua formula devotionis apud Macrob. Saturn. 3. 10. 10. „uti vos eas urbes agrosque capita *aetatesque eorum* devotas consecratasque habeatis“ omnino periphrasi inservit, quamquam quod h. l. L. Jahn e Tacit. hist. 3. 68. profert „Innoxiam liberorum aetatem miserarentur“ paulo aliter dictum esse videtur. Mitto *vita* pro hominibus vel saeculo praesenti dictum, ut apud Lucan. 6. 311. quem locum iam in lexicis notatum invenimus, at insolentius de *uno* homine Valer. Maxim. 3. 4. 5. „Cum interim *cuius vita* triumphavit, *mors* Papia lege damnata est.“ — i. e. qui vivus triumphavit, mortuus damnatus est. *Saeculum* cum genitivo nominis Lucretii proprium nec exemplis opus est; at insolentius nullo genitivo addito apud Claudian. de raptu Proserp. 2. 311.

Cuncta praecipiti stipantur *saecula* cursu —

i. e. umbrae, animae defunctorum, et Stat. Theb. 11. 592.

. totisque exspectant *saecula* ripis.

Ex hoc absoluto usu hujus vocabuli pro *hominibus* cadens latinitas *saeculum* omnino pro *mundo* usurpare coepit, ut Prudent. Peristeph. 10. 167.

Roma, *saeculi* summum caput.*)

Jam *origo* et *ortus* sic dici vix necessarium videtur exemplis adstruere, cum in lexicis inveniuntur, ut Sil. Ital. 14. 93.

... tam praecipiti *materna* furori

Pyrrhus *origo* dabat stimulos —

et Stat. Theb. 1. 680. ... Cadmus *origo* patrum (mihi est) — vel Seneca Troad. 540.

Generosa in *ortus* semina exsurgunt *suos* —

i. e. nascuntur filii similes patris. Minus notum *virginitatem* apud poetas fatiscentis latinitatis dici pro *virgine*; cf. Claudian. in Eutrop. 1. 18. et Prudent. Peristeph. 6. 127.

Haec tum *virginitas* palam videre

Per sudum meruit. —

Indoles omnino idem est atque *filius*. Senec. Thyest. 492.

Et ipsum et una invisi generis *indolem*

Junctam parenti cerno —

ut Hercul. Oet. 905.

Hic ipse Megaren nempe confixam suis

Stravit sagittis atque *natorum indolem*. —

Macrob. Saturn. 5. 6. 1. „Cotidie enim *Romanae indoli* enarrando“ — ubi Jahns: „miro modo dicitur pro *adolescentibus*, ut nos dicimus: der *Nachwuchs*“ — atque citat locum ex Non. p. 456. 30. ex quo docemur, *indolem* idem esse atque *subolem*. Nos addimus locum Eumenii pro Restit. Schol. c. 5. „nobilissimam istam *indolem Galliarum* respicere conati.“

Sequitur alterum sic in circumloquendo usurpatum *nomen*. Exempla nemo desiderabit, id tantum dicamus, omnium poetarum figura hac creberrime abusus fuisse Ausonium. cf. Wernsdorf. Mosell. 440.

Ausonius, *nomen Latium* —

at miramur, quae legimus apud Valer. Flacc. 5. 484.

Sceptra tui *toto* Pelias sub *nomine* Phoebi

Maxima sorte tenens —

ubi Vossius: „*Nomen Phoebi* pro Phoebio ipso posuit Valerius. Sic alibi *nomen Otrei* pro *Otreo* et *defleta nomina* pro viris ipsis.“ Verum vix cuiquam persuadebit, haec huic loco convenire et recte haud dubie alii legunt *numine* vel *lumine*. At non praetereundum, *nomen* significare nonnunquam *filium* vel *filiam*, progeniem; Virg. Aen. 12. 515. Onytes dicitur *nomen Echionium* i. q. Echionis filius, et Sil. Ital. 13. 44.

Non unquam adfirmat Therapnaeis Ilion armis

Cessurum, aut *Ledae* rediturum *nomen* Amyclas —

i. e. Helenam, *Ledae* filiam. Sic etiam accipienda apud Mamertin. Grat. actio Juliano Aug. c. 19. „Ita praeclara illa *veterum nomina* sordidissimum quemque adulabant.“ i. e. *posterī* clarorum virorum.

*) Sic *natura* apud patres ecclesiae pro *creatura* usurpatur cf. intrpts. Prudentii Peristeph. 10. 941.

Iam illud genus latissime patet, ex quo conditio vel vitae status pro homine dicuntur in hac conditione versante.*) Notissima sunt illa *matrimonium* i. q. uxor; *officium*, hi, qui ad officium obeundum properant; cf. Burmann. Claudian. de VI. consul. Honorii 523.; *servitia* i. q. servi (apud Petron. Satir. 107. „*servitia cernitis*“ idem est atque *stigmata*); *hospitium* pro *hospite* Propert. 1. 15. 20.

Ut semel *Haemonio* tabuit *hospitio* —

i. e. Achille; *custodia* et hi, qui custodiam agunt et rei, qui vinculis detinentur, ut apud Apulei. de deo Socrat. 691. „*daemona raptare illico et trahere veluti custodiam suam ad iudicium*“; *certamina*, qui digni sunt, quos aemulemur, Tacit. Annal. 3. c. 55. „*Verum haec nobis majores certamina ex honesto maneat*“, ubi v. Waltherum**); — *imperia* pro magistratibus Valer. Maxim. 1. 1. 9. „*Qua propter non dubitaverant sacris imperia servire, ita se rerum humanarum regimen existimantia*“ ubi duo conjuncta sunt abstracta: magistratus publici existimabant, se tunc fore rerum hum. rectores. Obscurior locus tamen Virgil. Aen. 4. 229.

Sed fore, qui *gravidam imperiis* belloque frementem

Italiam regeret —

quae eadem verba leguntur apud Auson. Epigr. 4.

Imperio gravidas qua seco Pannonias —

et vario modo explicari possunt, aut ita ut dicamus: quae terrae multos imperatores sint pariturae, aut: quarum imperium multas gentes sit complexurum. Nec placet illud Eumenii Paneg. Maximiano et Constant. c. 1. „*Tibi Caesari additum nomen imperii*“ i. e. nomen Augusti. — Valer. Maximus, quem abstractis mirum quantum abusum esse iam supra diximus, non dubitavit *copulatam societatem generis et imaginum*, et *communionem nominis* dicere Fulvium, *fratrem* Q. Fulvii Flacci censoris. Multa ille ad analogiam innovavit; sic quia *advocatio* usurpatur pro ipsis *advocatis*, *apparitio* pro

*) Ipsum vocabulum *conditio* apud posteriores scriptores designat omnem creaturam, mundum, Deum, qui mundo a se creato praest. cf. Obbarium ad Prudent. Hamartig. 199., ut *factura* idem est ac *creatura* ibd. Apotheos. 304. et interpts. h. l., (quae *creatura* Tertuliano de Anima c. 18 *factitamentum* dicitur). *Factura* autem dicitur pro *re facta*, ut apud Lucan. 9. 809.

Utque solet pariter totis se effundere signis

Corycii *pressura* croci —

pressura pro eo, quod exprimitur.

**) Apud Tibull. 4. 10. 5.

solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris,

ne cedam ignoto, *maxima causa*, toro.

ubi Dissenius: „*Quod multi probarunt maxima cura* manifesto tenuius et debilius hoc fortiore et ponderosiore verbo, quod bene Lachmannus revocavit. Est vero *maxima causa* nunc ipsa praestantissima puella, maximo certamine digna, a forensibus rebus ducta locutione.“ Inde explicandus locus obscurior Stat. Theb. 5. 457., ubi Hypsipyle a Jasone relicta conqueritur:

... *sua jura* cruentum

Phasin habent; alios, Colchi, generatis amores —

sic quidem nunc legunt, per metaptosin quandam verba explicantes, ut sit: Phasis cruentus sua jura habet. Verum antiqua lectio est: *mea jura* Phasis habet — i. e. Jasonem, legitimis taedis mecum conjunctum, maritum, Phasis habet vel tenet. Sic *ius* dicitur qui jure *meus* est, ut apud Macrob. Saturn. 1. 11. 7. „*Vis tu cogitare eos (servos), quos ius tuum vocas, isdem seminibus ortos eodem frui coelo*“,

apparitoribus; *conditio* i. q. puella in matrimonium collocanda, cf. Breui ad Sueton. Jul. Caes. c. 27; *impressio* pro turba hominum se prementium, alia — audacius innovavit orationem 8. 1. 3. „quoniam et *accusatio* partes suas plane exhibebat“ et ibd. 8. 1. 3. (damnat.) „Tamen quia Saturnini imaginem domi habebat, suffragiis eum tota *cognitio* oppressit“ i. e. collegium iudicum, nec probanda altera lectio *concio*. Apud eum etiam verbum saepe abstracto accommodatur, quod hominem spectat; cf. 1. 6. 11. „sic *deorum sprete monitus excandescunt*“ quae lectio non est sollicitanda, ut 1. 7. 8. „Propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Aterii Rufi . . . *somnium* certo eventu *admonitum est*“ i. e. Aterius somnians per quietem citius de nece sua admonitus est. Sed haec adtigisse satis sit, cum exempla apud Valerium passim prostent. Huius generis est etiam Macrobi. Somn. Scip. 1. 8. 13. „Simul omnia, quae vel *contentio sibi* fingit detractans fidem, vel quae ipsa veritas suggerit, in divisionis membra mittamus —“ quo loco Janus optimo jure Zeunii conjecturam *tibi* reiicit, et *contentionem* pro contendente ipso positum esse statuit, quod prorsum convenire cum more Macrobiani exemplis h. l. prolati comprobatur. — Neminem offendet *volatus* pro *volante*; cf. Sil. Ital. 17. 55.

Tantum progressos liquida sub nube *volatus* (secuti) i. e. aquilas, — et adjectivo addito 1. 421.

. . . *Spartanis latratibus* actus —

i. e. canibus Spartanis latrantibus. Verum quamquam *fuga* pro fugiente legitur, ut apud Graecos *αἱ φυγαί* pro *οἱ φυγάδες*, insolentius tamen Martialis. Epigr. 4. 4. 11.

Quod *vulpis fuga* . . . olet —

pro lotio, quod effundit vulpis fugiens. — *Mora*, de cuius vocabuli metaphorica significatione infra dicemus, i. q. morans etiam apud Propert. 4. (5.) 8. 78.

Aut *lectica tuae* sidat aperta *morae* —

i. e. tibi commoranti. Mira autem dictio apud Senec. Thyest. 282.

. . . Tota iam ante oculos meos

Imago caedis errat, ingesta *orbitas*

In ora patris —

quae verba significare videntur filios ab Atreo interfectos et patri morte eorum orbo appositos. Sic *solatium* apud posteriores idem est atque *socius*. cf. Symmach. Ep. 5. 91. „Ipse memento promissi, quo te ob causas publicas peregrinationis meae fore *solatium* spondisti.“

Tandem addendum, rumorem et famam, quam quis de se spargit vel alii de eo divulgant, pro homine poni. Notissima sunt *fabula*, *historia*, *sermo* usurpata pro homine, qui historiae argumentum et materiam praebet, perinde atque apud Juven. 10. 167.

Ut pueris placeas et *declamatio* fias —
et insolentius etiam apud Persium 1. 29.

Ten' *cirratorum centum dictata* fuisse

Pro nihilo pendas?

i. e. in tantam te venisse opinionem eloquentiae, ut dicta tua soleant puerorum dictata esse; ubi v. Jahnum. Mira sunt, quae apud Plinium leguntur Epistol. 8. 1. „Encolpius quidem lector, ille *seria nostra*, illae deliciae . . . sanguinem reiicit“ ubi homo ipse dicitur *seria* (res), quicum *seria* tractamus,

quem in rebus seriis magni facimus, ut *res* simpliciter pro homine Auson. Profess. Burdig. 6. 1.

O flos juvenum,

Spes laeta patris

Nec certa tuae

Date res patriae —

qui praematura morte periturus eras. *Acroama* novum in modum usurpatum Prudent. Peristeph. 2. 322.

Egon' cachinnis venditus

Acroma festivum fui.

Acro(a)ma active usurpatur pro festivo vel iocoso recitatore, at hoc loco Praefectus dicit indignabundus, se praebuisse materiam jocosum et diceriorum.

§. 3. Iam accedamus ad explicationem locorum, quibus non *homo* designatur, sed *res* vocabulo abstracti. Atque primum disputaturi sumus de locis, ubi pro instrumento ponitur id, quod eo efficitur, vel effectus est pro causa efficiente. Sic *semita*, *iter* pro *scalis* ponitur, quae transitum parant. cf. Pomponius Secund. (Armorum iudicium) apud Ribbeck. p. 197.

Tum praë se portant ascendibilem *sémitam* —
et Stat. Theb. 8. 842. . . . Aerium sibi portat *iter*.

Metus pro imagine terrorem incutiente pluribus locis, ut Valer. Flacc. 1. 402.

Tum caelata *metus* alios gerit arma Eribotes —
i. e. arma, in quibus caelatae erant res terribiles; ut 4. 181.

Et varii pro rupe *metus* —

i. q. voces et stridores; et apud Stat. Theb. 9. 107. de galea, *excelso terrore* comante, i. e. equinis cristis terrorem afferentibus. — *Mora* pro *νώδων* — *προβολή* legi, scimus omnes et lexicographi multis exemplis docent; cf. Valer. Flacc. 6. 97.

Quos duce Teutagone crudi *mora* corticis armat —

i. e. scutum ex cortice arboris, quod moratur tela; quam vocabuli significationem uberrime explicavit Cortius Lucan. 6. 217. Illa apud Stat. Theb. 4. 220.

Hinc atque inde *morae* jaculis et ferrea curru

Silva tremit —

duplici modo explicari possunt. Si virgula ponitur post *morae*, sensus erit: Amphiarai manus impeditas, occupatas fuisse, undique cincti agminibus, quorum milites jacula ferebant; sin post *jaculis*, ut Barthius fecit, *morae jaculis* erit graecum *ἰοδόχη* — locis ad id factis jacula circum ipsum morantur. *Mors* pro telo, quo infertur, saepe legitur usurpatum. Lucan 7. 517.

. nusquam rexere sagittas;

Sed petitur solus, qui campis imminet aer.

Inde cadunt *mortes*. —

ut Sil. Ital. 6. 793.

Mille cavet lapsos circum cava tempora *mortes* —

et ibd. 9. 368.

... per pectora saevas

Exceptat *mortes*.

Paulo aliter dixit Senec. Herc. Oet. 520 de Nesso:

... Cum longum ferens

Arundo vulnus tenuit haerentem fugam

Mortemque fixit, ille iam quaerens diem

Tabum fluentem vulneris dextra excipit —

ubi *mortem fixit* non est *mortem figendo intulit*, nam Nessus etiam tum vivebat, sed *vulnus mortiferum* intulit, quod mors demum insecuta est; ut apud Valer. Flacc. 7. 608.

... plena sic semina dextra

Spargere gaudet agris oneratque novalia bello —

i. e. semine, ex quo nascituri erant bellatores. — Huius porro generis sunt illa apud Lucan. 3. 590.

Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas

Divisitque animam sparsitque in vulnera *letum* —

quod Cortius recte explicat: „*Letum* spargit in vulnera, quia id, per quod moriebatur, i. e. proluviem sanguinis, in utraque vulnera spargebat.“ Nam *mors* idem est atque *sanguis* Virgil. Aen. 9. 345.

... cui comminus ensem

Condidit assurgenti et *multa morte* recepit

Purpureum —

et Prudent. contra Symmach. 2. 676.

Undantesque meum in gremium diffundere *mortes*

Et sub iure fori non noxia colla secare —

et ibd. v. 1125.

Tu *mortes* miserorum hominum prohibeto *litari* —

i. e. sanguinem innocentium immolari. Qua de re apud Sil. Ital. 1. 388.

... Oraque dum calcat iam singultantia *letum* —

sic accipienda, ut *letum* pro sanguine erumpente positum esse dicamus, ut apud Virgil. Aen. 9. 333. truncum *sanguine singultantem* — nec est necessaria correctio *caede*. Nam *singultus* pro sanguine emicante, qui singultum efficit, est apud Valer. Flacc. 3. 218.

... vatique patescat

Armorum fragor et *tepidi singultibus* agri

Labentum —

Qui *trepidi* legunt, inducunt ridendam hyperbolen; recte sine dubio Burmann: „*tepidi* recenti sanguine, quem moribundi singultantes eiecerant.“ — Huc pertinent *caedes*, *vulnus* pro *telo*. cf. Auson. Epitaph. her. 19. 3. de Polydoro:

Confixus iaculis et *ab ipsa caede* sepultus

Condor in hoc tumultu bis Polydorus ego —

i. e. telis et terra obrutus. *Vulnus* autem ponitur sic non modo locis a lexicographis enotatis, sed etiam apud Valer. Flacc. 3. 196.

. . . cessere iubae raptumque per auras

Vulnus —

quae audacissime dicta sunt hoc sensu: iubae (crista) retro cesserunt percussae a telo et sic, cum nihil solidi esset post eas, irritum telum per aures ferebatur. Lucan. 8. 384.

. . . sed longe tendere nervos,

Et, quo ferre velint, permittere *volnera* ventis*)

i. e. sagittas; incerta magis ibd. 3. 315.

. . . tractentur *vulnera* nulla

Sacra manu —

ubi tractare *vulnera* dixit ut arma tractare, *gladium* tractare, ita ut sit: arma impia manus nostra ne tractet. At possunt etiam haec ita accipi: nemo versetur neve occupatus sit in vulneribus inferendis. Ambigua etiam Sil. Ital. 9. 520.

. . . dextramque ipso de *vulnere* vellit —

ubi *vulnus* esse potest ferrum vel telum, quo vulnus infligere conabatur, vel locus, qui ad vulnus infligendum petebatur. *Fraus* apud Sil. Ital. 1. 219. idem est atque *venenum*:

Altrix bellorum bellatorumque virorum

Tellus, nec fidens nudo *sine fraudibus* ensi —

veneno, quo barbari tela et gladios inficere solebant. — ut ibd. 1. 323.

Aut hydro imbutas bis noxia tela sagittas

Contendit nervo atque insultat *fraude* pharetrae —

i. e. iactat se emittens sagittas venenatas.

Iam *frigus* vocabulum ita nonnunquam praepostere ponitur, ut omnem explicationem eludere videatur. Stat. Silv. 1. 2. 155.

Excludunt radios silvis *decussa* vetustis

Frigora; perspicui vivunt in marmore fontes —

ubi Calderinus: „*frigora* i. q. umbra vetustate ramorum implicatorum in se mutuo prognata et *incussa*“ quae nihil illustrant, nec quidquam faciunt ad expediendam loci difficultatem Virgilii verba Georg. 2. 404.

Frigidus et silvis Aquilo *decussit* honorem —

cum folia et fructus recte dicantur vento *decuti*, *frigora* durissime. Recte haud dubie mutavit le-

*) Omnino audacissima, quamquam ab interpretibus silentio transmissa dictio Lucani 3. 707.

. . . multus *sua vulnera* puppi

Adfixit moriens et rostris abstulit ictus —

i. e. carnis laceratae vel abscisae frusta; vel ibd. 8. 352.

. . . quid *vulnera* nostra

In Scythios spargis populos —

i. e. cur Scythia etiam facis copiam sanguinis Romanorum effundendi? —

ctionem Handius et edidit *demissa*. Alius generis, at eadem audacissime sunt dicta Martial. Epigr. 2. 46.

. . . . Tu spectas hiemem succincti lentus amici

Pro scelus! et *lateris frigora trita tui* —

i. e. tritam obsoletamque tunicam amici tui; ubi non solum *frigora*, sed etiam *latus* miram significationem recepit. Cum enim *a latere cuius esse* significet idem ac familiarem alicuius esse et amicum, Martialis ultra progressus *latus* simpliciter usurpavit pro amico, ut 6. 68.

Ille tuum, Castrice, *dulce latus*.

Tertius locus, quamquam huc minus pertinet, est ibd. 1. 55.

Quisquam picta colit Spartani *frigora saxi* —

i. e. frequentat atria divitum marmore strata, quod natura sua gelidum est.

Nefas significare rem perniciosam, improbe peractam, docuit Barthius ad Stat. Theb. 2. 295.

Teque etiam, infelix, perhibent, Jocasta, decorum

Possedisse nefas; vultus *hac laude* colebas,

Heu quibus, heu placitura toris —

ubi non tam haeremus in usu vocabuli *nefas* pro monili positi, quamquam hoc etiam satis novum, cum *nefas* metaphorice de homine tantum nefario dicatur, pro prodigio vel re insolita, monile autem ex se nihil sit portentosi, quam in vocabulo *laude*, quod h. l. idem est atque *ornatu*, ab omnibus laudato.

Locis, ubi *umbra* ponitur pro eo, quod umbram facit, addimus locum ex Statii Achill. 1. 421.

Phocis et Aoniae iaculis rarescitis *umbrae* —

i. e. caeduntur silvae umbriferae, caesis ad jacula facienda arbusculis. *Umbram* pro ramis et frondibus usurpari docuit copiose Hertzberg. Propert. 1. 18. 21. et cum idem etiam sit, atque locus opacus et umbrosus, conjungitur etiam cum adjectivis, quae ad locum referuntur, ut apud Propert. 3. 3. 1. *mollis umbra*.

Huic classi porro adnumerandum *fama* usu satis tritum, ut apud Sil. Ital. 6. 629.

Et triplicis monstri *famam* et spectacula captas

Mira boves . . . Egit ovans —

quae vix operae pretium protulisse; jam audacius Valer. Flacc. 7. 605.

Non aliter medio quam si telluris hiatu

Terga recentis equi primumque invasit habenis

Murmur et in summa Lapithes apparuit Ossa —

ubi *murmur* significat *dentes* primum frendentes et recusantes fremitu frenum domitoris accipere; — perinde atque in adpositione *tumultus* legimus Tibull. 2. 3. 43.

. . . . urbisque *tumultus*

portatur validis mille *columna* iugis —

ubi Disсенius: portatur marmor per vicos terrorem iniiciens civibus, ne intrementibus vicis aedes ruant."

Litura, quod significat apud Propert. 4. 3. 4.

Haec erit e lacrimis facta *litura* meis —
maculam, audacius usurpatum Stat. Silv. 2. 1. 18.

. . . Lacrimis en et mea carmina in ipso

Ore natant tristesque cadunt in verba *liturae* —
 i. e. lacrimae, quae *lituram* faciunt.

Tumor, *fragor* pro fluctibus posita, verba etiam notioni huic accommodata adjuncta habent,
 ut Senec. Herc. Oet. 733.

. . . Et lassus *tumor*

In litore ipso *spumat* —

et Stat. Theb. 5. 337. . . . geminus *fragor* ardua *canet*

Per latera —

i. e. undae canentibus spumis fragorem efficientes ab utroque navis latere albescunt.

Quam varia sit significatio vocabulorum *lux*, *lumen*, notum omnibus. *Lux* non modo *diem* designat, qui lucem fert, et *stellas* lucentes, ut apud Cicer. Arat. 96.

Illae quae fulgeat *luces* ex ore corusco —

quem locum lexicographi non omiserunt, sed etiam *facem*, lampadem, unde etiam adjectiva recipit illi notioni convenientia; cf. Stat. Theb. 1. 435.

Isque ubi progrediens *numerosa luce* per alta

Atria —

quaemadmodum apud Claudian. Idyll. 5. 28.

. . . ducit *flamma* choros —

i. e. ὀψιδες δὲ ἐξαίοντο. Quaeri potest, quidnam apud Senec. Oedip. 324.

Ambitque densus regionum fumus caput

Ipsosque circa spissior vultus sedet

Et nube densa *sordidam lucem* abdidit —

lucem significet. Fortasse tristes regis *oculos*.

De translata notione vocabuli *luminis*, quod spiramentum, foramen, rimam significat, per quam lumen immittitur, nihil habeo, quod dicam, cum haec iam a lexicographis sint praeoccupata; unum tantum quod proferam dignum videtur Sil. Ital. 2. 211.

Ac simul *aerati* radiavit *luminis* umbo —

i. e. clipei bractea aerea inducti et fulgurantis, quod audacissime dictum nec comparandum, id quod Ruperti fecit, cum ejusmodi phrasibus, ut ibd. 167.

Poscebat votis gemmataque *lumina* peltae,
 quod omnino aliter coloratum.

Huc spectant, quae legimus apud Sil. Ital. 6. 162. de ingenti serpente:

Isque ubi ferventi *concepta incendia* pastu

Gurgite mulcebat rapido et spumantibus undis —

i. e. *sitim* stomachum urentem et conceptam ferventi pastu, i. e. cibo et carne vivorum animalium;

quod hanc ob causam dicimus mire dictum, quia *incendia* h. l. plane absolute positum est, sine ullo vocabulo definiente, aliter quam apud Lucret. 4. 869.

Corpora, quae *stomacho* praebent incendia *nostro*.

Pulsus dicitur pro *remis* et quae ad remos pertinent epitheta, pulsui accommodantur; exempla ex Sil. Ital. 14. 487. *senis pulsibus* — ut ex Lucan. 3. 536. *senis verberibus* — pro sex remigum ordinibus — nota in vulgus, nec proferenda, quae iam a Siebelisio in edit. Ovidii Metamorph. explicata inveniuntur, *periculum*, 8. 196.

. . . . ignarus sua se tractare *pericla* —

i. e. pennas et ceras, ex quibus pater alas faciebat mox filio perniciem allaturas. Nec quemquam morabuntur apud Stat. Theb. 8. 51.

. . . . Cur autem *avidis* Ixiona frango

Verticibus —

i. e. celeribus rotae recursibus; — quod autem apud Prudent. Peristeph. 1. 71. prostat:

Nexibus manus utrasque *flexus* involvit *rigor* —

differt a Virgiliano *rigor ferri*, a Lucretiano *rigor auri*, cum genitivus nominis non sit additus. — *Nox* pro fumo, quo tenebrae efficiuntur, est apud Valer. Flacc. 7. 597.

§. 4. Nonnunquam contra id, quod efficit, ponitur pro eo, quod efficitur. *Annus* vel tempus procreat fruges; inde idem significat atque proventum annuum; *magnus annus* i. q. frugum ubertas; cf. Lucan. 3. 70.

Effusis *magnum* Libye tulit imbribus *annum* —

vel ibd. 451.

. . . . curvoque *solī cessantis* aratro

Agricolae raptis *annum* flevere *juvencis* —

i. q. agricolae curvo aratro insidentes flevere, agrum cessantem nullas fruges edere. Sic *auctumnus* idem ac vinea vel vindemia, ut apud Martial. Epigr. 12. 57. 22.

Nec in Falerno colle *major auctumnus*.

Mira hoc in genere apud Sil. Ital. 5. 671.

. . . . Premit omnis dextera ferrum

Armatusque jacet servans *certamina* miles —

i. e. vultum trucem, oris ferociam, quae certamine oritur; et ibd. 8. 663.

Turbinibus furit insanis et *proelia* ventus

Inque oculos inque ora rotat —

i. e. nubem pulveris, proelio excitatam, vel etiam tela a proeliantibus emissa. Quae notiones quo modo misceantur nisi ex sententiarum contextu, cognosci nonnunquam non potest. Apud Stat. Theb. 1. 52.

Servantem tamen assiduis circumvolat alis

Saeva dies animi scelerumque in pectore Dirae —

i. e. inquietudo, vigiliae; nam quemadmodum *nox* designat quietem, sic *dies* motum et perturbationem. Absona etiam videntur apud Senec. Herc. Oet. 1834.

Non est gemendus nec gravi urgendus *nece*

Virtute quisquis abstulit fatis iter —
ubi Bothius nihil adnotavit, quem solum inspicere potui; *nece* pro *fletu* dictum esse putamus, qui mortem vel mortuum prosequi solet. Sic apud Prudent. Peristeph. 11. 7. 4.

Dissociata putrem laxent tabulata carinam
Conceptumque bibant undique *naufragium* —
undam ex naufragio irrupentem et Valer. Maxim. 8. 239.

Sic ubi Mygdonios *placatus* sacer abluit Almo —
i. e. vulnera, quae sacerdotes Cybeles sibi infligebant, vel sanguinem. Pertinent huc quodammodo *aditus*, *reditus* dicta pro *gradu* vel *pede*, quo *aditus* efficitur, apud Catull. 41. 26.
quare huc *aditum* ferens, —

et ibd. 63. 47. *reditum* tetulit i. q. pedem rettulit.
Simplicissima sunt apud Tibull. 1. 8. 32.

Carior est auro juvenis, cui levia fulgent
Ora nec *amplexus* aspera barba terit —

i. e. puellam amplectentem; at magis offendunt apud Propert. 3. (4.) 14. 3.
Quod non infames exercet corpore *laudes*
Inter luctantes nuda puella viros —

ubi *laudes* dicitur certamen ludicrum, quod plausum excitare solet. cf. Hertzberg. h. l. — altera lectio *ludos* haud dubie simplicior. Affectata etiam et incerta Lucan. 2. 404.

Fontibus hic vastis immensos concipit amnes
Fluminaque in gemini spargit *divortia* ponti —

ubi Cortius *divortia ponti* dicit esse ipsam Italiam, quae geminum mare separat, quamquam verba haec simplicius accipi possunt, ut *divortia ponti* dicamus esse ipsum hoc loco divisum mare. — Minus apposita h. l. quae legimus apud Propert. 4. 3. 15.

Omnibus heu portis pendent mea noxia *vota* —
i. e., ut Hertzbergius docet, tabellae, quibus ream votorum publice se confitebatur, quae effecerunt, ut tabellas suspenderet. Mira significatione *secta* ponitur pro libris, quos *secta* scripsit, apud Prud. Peristeph. 5. 182.

Librosque opertos detege,
Quo *secta* pravum seminans
Justis cremetur ignibus.

§. 5. Quae animi vel mentis actionem significant pro re ponuntur, quam haec actio spectat. Unum modo proferam vocabulum *votum*, in cuius significatione varianda multum sibi indulserunt scriptores. Ovid. Metam. 1. 273.

... et deplorata coloni
Vota jacent —

vota est *sata*, ut omnino quae promittitur res aut voto petitur *votum* dicitur. Apud Virgil. Aen. 3. 279.

votis non est votorum persolvendorum causa, sed i. q. tus atque victimae, ut apud Lucan. 9. 989.

Erexit subitas congestu cespitis aras
Votaeque turicremos non irrita fudit in ignes.

Vota absolute dici pro *nuptiis* docuerunt interpretes Eumenii Panegyri. Maximian. et Constant. c. 1.

§. 6. Id quod significatur vel proditur re, usurpatur pro re ipsa vel signo. Nota illa apud Virgil. Aen. 8. 731.

Miratur rerumque ignarus imagine gaudet
 Adtollens humero *famamque* et *fata* nepotum — plane ut apud Senec. Phoen. 363.

Felix Agaue; *facinus* horrendum manu,
 Qua fecerat, *gestavit* et spoliū tulit
 Cruenta nati Maenas in partes dati.

Fecit scelus, sed misera non ultra suū
 Scelus hoc cucurrit —

ubi Bothius: „Sed *facinus* quo modo manu gestetur, scio cum ignarissimis neque *gestavit* et *tulit* simul inferri recte arbitror. —“ Locus tamen sanus esse videtur; *facinus tulit* i. e. caput abscisum filii, quod facinoris erat signum; plane ut ibd. Thyest. 663.

Adfixa inhaerent dona, vocales tubae,
 Fractique currus, spolia Myrtoi maris
 Victaeque falsis axibus pendent rotae
 Et omne gentis *facinus*.

Asyndeton, quod fit omisso *quidem* (Fecit quidem scelus), neminem apud Senecam offendet. cf. Bothium ipsum Troad. v. 619. Comparari possunt illa apud Stat. Theb. 9. 333.

... clypeusque insignis et auro

Lucidus Aoniae caelatur *origine* gentis —
 insculpta in eo erant primordia populi Trojani — ut Sil. Ital. 2. 405.

... per singula laetis

Lustrat ovans oculis et gaudet *origine* regni —
 gaudet adspectu caelaturae armorum, clypei imprimis, originem Carthaginis adumbrantis. Sic *descriptio* est Macrobio *figura*, *γραφή*, *tabula* cf. interprts. Macrobi. Comment. in Somnium Scip. 2. 5. 13., ut *argumentum* id quod *imago*, non solum locis a lexicographis prolatis, sed etiam apud Eumenium pro restaur. schol. c. 21. „res gestae per diversa regionum *argumenta* recoluntur.“ Inde etiam significat, quod vulgo dicimus Attribut — cf. L. Janum Macrobi. Saturn. 1. 19. 17. — Sic etiam *triumphus* vario modo usurpatur; apud Valer. Maxim. 2. 10. 3. „Quod aliquanto maius videbitur, si quis cognoscat, lecti illius frontem *Macedonicis triumphis* fuisse adornatam“ — i. e. imaginibus triumphorum — at apud Claudian. de IV. consul. Honorii 227.

Omnes thalamo conferte triumphos —
i. e. praedam ex triumphis partam. Aliis locis *triumphi* i. q. gentes, de quibus triumphatum est. —
Sic *solemnia* pro his quae in celebrandis solemnibus offeruntur, apud Tacit. Annal. 3. 2. „odores
aliaque funerum *solemnia cremabant*“, graecum *κτερίσματα*; ut *lectio* pro *libro*. cf. Macrob. Saturn.
7. 13. 16. „haec sunt quae lectio pontificalis habet“ — *scriptio* pro *scripto*. — Nec plane reiicienda,
quamquam nunc oblivioni data, explicatio obscuri loci Stat. Silvar. 4. 6. 58.
... aspera sedes

Sustinet occultum Nemeaeo tegmine *sexum* —

ubi Barthius: „*sexum* i. q. *διδοῖα*, quae sedens in aspero saxo pelle leonina texerat Hercules, ne
perderetur castitas mensae.“ Nam *sexum* dici pro membro, quo sexus distinguitur, probat Pli-
nius h. n. 52. 8. 9.*) Simili modo Stat. Achill. 1. 355.

Haec calathos et sacra ferat; tu frange regendo

Indocilem sexumque tene, dum nubilis aetas

Solvendusque pudor —

ubi, ni fallimur, *pudor* id esse videtur, quod *ζώνη*, cingulum, virginitatis signum, hoc sensu: vince,
doma sexum muliebrem, donec aetas nubilis et cingulum adhuc solvendum, i. e. donec nondum in
mariti erit potestate. — Sic *sacra* non ipsam sacrificandi actionem significare, sed res sacrificio ob-
latas, victimas, latices, herbas magicas, docuit Hertzbergius Propert. 1. 1. 20.

At vos, deductae quibus est fallacia lunae

et labor in magicis *sacra piare* focis.

Aura est sanguis, qui erumpens auram quasi emittit, apud Valer. Flacc. 3. 107.

... compressaque mandens

Aequora *purpuream* singultibus exspuit *auram* —

ubi fortasse imitatus est Virgil. Aen. 9. 349.

Purpuream vomit ille *animam* —

quamquam h. l. nunc altera lectio, ut praestantior, ex Servio recepta; et Lucan. 5. 279.

... non *anima* galeam fugiente ferire —

i. e. sanguine erumpente galeam ferire. Ambigua sane apud Valer. Flacc. 7. 525. de serpente:

... et *trepidantia* torsit

Sibila —

quae ita explicanda videntur, ut *sibila* accipiamus pro ore et hiatu *sibila* emittente, quem circum-
agit et torquet; quamquam possunt etiam ita intelligi: teli instar *sibila* emittit. Ut *vulnera* dicuntur

*) Nota est vocabuli huius significatio pro imbecillitate feminea, ut apud Sil. Ital. 3. 114.

Si solo adspicimur *sexu* firmumque relinqui,

Cedo equidem —

nec proferenda, ubi *sexus* marem vel feminam significat. cf. Auson. Epitaph. 34. 1.

Viginti atque novem genetrici Callicrateae

Nullius *sexus* mors mihi visa fuit —

undetriginta liberos peperit; nec filii tamen, nec filiae mortem vidi.

stridere. Virg. Aen. 4. 689., quamquam non ea stridunt, sed sanguis ex iis emissus. Inde *aer arundinis* Lucan. 9. 827.

Quam segnis Scythiae *strideret* arundinis *aer* —

sibilus, quem arundo volans facit, et Sil. Ital. 8. 128.

Oscula, qua steteras, bis terque infixit arenae;

Deinde amplexa sinu late *vestigia* fovit,

Ceu cinerem orbatae pressant ad pectora matres —

i. e. arenam, in qua *vestigia* erant; et apud Rutil. Itiner. 1. 247.

... in *Euboicis natatibus* —

i. e. in aquis Euboicis, ubi crebri natatus fiunt. Huc etiam referenda videntur Prud. Peristeph. 6. 88.

Nec calcare *sacram cremationem*

Aut adstare Leō prius licebat —

i. e. *rubum* flagrantem; — et *procinctus* apud posteriores scriptores pro *exercitu* dictum. cf. Barth. Adversar. lib. 41. 12. Inflectitur etiam sic significatio vocabuli *haustus* Prudent. Peristeph. 10. 984.

... *haustus* vel patentes inspicere,

Lateatne quidquam —

i. e. os, quod haurit, vel oris hiatus; — ut Valer. Flacc. 3. 442.

... ter tristia tangens

Arma simul vestesque virum, *lustramina* ponto

Pone jacet —

i. q. sordes, purgamenta.

§. 7. Sed iam accedamus ad alteram disputationis partem, in qua explicanda est contraria ratio mutatae significationis, cum concretum, quod dicimus, pro abstracto positum invenimus. Atque primum disputaturi sumus de nominibus virorum usurpatis pro re, quam quodammodo repraesentabant, pro virtute, qua insignes erant, pro opere et arte, quam colebant. Sic, ut exordiamur a summo consulis nomine, *consul* apud poetas posteriores idem est atque *annus*. Martial. Epigr. 3. 93. 1.

Cum tibi *trecenti consules*, Vetustilla,

Et tres capilli quattuorque sint dentes —

quae dictio insolentissima esse videtur, ut ibd. 8. 45. 4.

Amphora centeno consule facta minor —

i. q. amphora, cui propter temporis vetustatem aliquid deperit, et Claudian. de IV. consul. Honor. 390.

Spectandosque iterum nulli celebrantia ludos

Circumflexa rapit contenis saecula consul —

i. q. annus centesimus ad finem adducit saeculum. Apud Auson. Parent. 29. 4.

Uno quamvis tu *consule* major eras —

apprime huc faciunt; minus affectata ibd. Epitaph. 33. 1.

Laeta bis octono tibi iam sub *consule* pubes

Cingebat genas —

cum *sub consule* aliter dicatur, atque simpliciter sine praepositione. Quaesita etiam apud Prudent. Peristeph. 10. 406.

Nunc dogma nobis Christianum nascitur

Post *evolutos* mille demum *consules*

Ab urbe Roma —

ubi *evoluti consules* i. q. anni, qui praeterierunt a condita urbe. — *Nestor* dicitur pro *senectute* loco notissimo Juvenal. 12. 128.

Vivat Pacavius, quaeso, vel *Nestora totum* —

ubi *vivere Nestora*, dictum est, ut apud Propert. 2. (3). 22. 25.

Jupiter Alcmenae *geminas* requieverat *arcetos* —

et Tibull. 3. 6. 52. longas *requiescere noctes* — est accusativus temporis. cf. Hertzberg. l. l. — Apud Martialem sic hoc nomen saepius usurpatur; cf. Epigr. 10. 24. 11.

Post *hunc Nestora* non diem rogabo —

i. q. post hoc aevi Nestorei spatium. Similia sunt Stat. Theb. 11. 237.

. . . mox grande coactus

Ingemuit victorque furit per viscera *Nessus* —

pro veneno ab eo oriundo; — et Stat. Silv. 3. 40.

Pacatus mitisque veni

. . . . quem te Maenalis Auge

Confectum thiasis et multo *fratre* madentem

Detinuit —

fratre i. q. Baccho vel *vino*. Sic *mater* diversa significatione positum invenimus apud Senecam. Herc. Oet. 390., ubi Deianira conquerens de marcescente corporis flore dicit:

. . . Quidquid in nobis fuit

Olim petatum, cecidit et partu labat

Materque multum rapuit ex illo mihi —

mater est puerperium; at ibd. Troad. 964. dividere *matrem* idem est, atque affectum matris. Verum haec iam in lexicis inveniuntur nec omissum est *vir* positum pro virilibus. cf. Lucan. 10. 133.

Dux ponitur pro *arte ducis*, *miles* pro militari audacia, *pater* pro paterno affectu. cf. Cortius ad Lucan. l. l.; — sic eleganter Sil. Ital. 4. 403.

Quis *vos* heu! vobis pavor abstulit!

i. e. animum et virtutem vestram vobis abstulit. cf. Gronov. ad Senecae Thyest. 242. Sic *Hannibal* est id, quod animo concepta virtus et audacia Hannibalis Sil. Ital. 1. 345.

Accensae exsultant mentes *haustusque medullis*

Hannibal exagitat —

ut aliis locis *homo* vel *res* ponitur pro memoria ejus, imagine vel desiderio; cf. Virgil. Aen. 1. 720.

. . . At memor ille

Matris Acidaliae paulatim abolere *Sychaeum*.

Incipit —

ut apud Sil. Ital. 1. 61. *abolere Aegates*; cf. Dissen. ad Tibul. 4. 9. 1. Etiam pro *metu*, cf. Sil. Ital. 8. 33. *excutere* sollicito *Fabium* i. q. eripere metum Fabii. Ceterum quatenus notio intercedat significatio, id nonnunquam tantummodo ex totius sententiae contextu elucet. Lucan. 10. 103.

Sat fuit indignum, Caesar, mundoque tibi,

Pompeium facinus meritumque fuisse Pothini —
est *Pompeius* i. q. caedes Pompei, plane ut ibd. 432.

... *vixitque* Pothini

Munere Phoebeos *Caesar dilatus* in ortus —
i. e. caede ejus in posterum diem dilata. — Sic nomen viri est pro cineribus ejus, reliquiis feralibus Lucan. 8. 770.

... sed te Cornelia, *Magne*,

Accipiet nostraque manu transfundet in urnam —
et quod multo insolentius est, Claudian de rapt. Proserp. 2. Praef. 43. „*rubuit Busiride Nilus*“ —
i. e. sanguine Busiridis; et Stat. Theb. 3. 363.

... ipse ego *fessus*

Quinquaginta illis heroum ingentibus *umbris* —
i. e. ingentium heroum caedibus.

Atque hic adjungere liceat, quamquam res ipsa in vulgus nota, *post* et *ante* cum nomine jungi, ita ut ex sensu aliquid sit supplendum, plerumque *mors* — *ortus*. cf. L. Jahni Proleg. ad Macrob. c. III. p. 42. Comment. in Somn. Scipion. 1. 1. 7. „*animam post animal* non perire“ — ut ibd. 2. 17. 14. „*post corpus* animae velut ad patriam revertuntur“ — quam dictionem Anonymus laud. Hercul. v. 11. in ineptum convertit, dicens, *post viscera* et v. 88. *post membra*. Similia ut „*post Phaeacas* Ulixis navigationem describit“ vel „*Post Africam* Italiam conscripsit“ explicavit Jahnius l. l. At durior dictio Valer. Flacc. 7. 10. ... non haec mihi certe

Nox erat *ante* tuos, juvenis fortissime, *vultus* —

i. e. antequam te videram, noctem non ita insomnem agebam. Apud Lucan. 6. 145. „*ante feras* Rhodani *gentes*“ i. e. devictas; 2. 498. „*post aquas*“ i. e. superatas; 5. 474. „*pōst pignora*“ i. e. sublata — Cortius notare non omisit. Paulo aliter dicta Sil. Ital. 7. 596.

Qualis *post juvenem* — Rector erat Pylus —

i. e. post juventutem. Rarissime etiam *intra* sic usurpatur; cf. Sil. Ital. 14. 466.

At princeps generis quanto majora paravit

Intra pastorem sibi nomina —

i. e. pastoricia sua vita et fortuna contentus. — Sed haec iam mittamus. — Etiam opus hominis significatur nomine ejus. Duo sunt insignia hujus usus exempla. Quod Propert. 1. 14. 12. simpliciter dixit:

Lesbia *Mentoreo* vina bibas *opere* —
insolentius Martial. Epigr. 11. 12.

et Juven. 8. 104.

Martial. Epigr. 10. 48.

immodico sexta *Nerone* calet

i. e. venationis a Domitiano Caesare in amphitheatro exhibitae, ubi adiectivum nomini *Dianae* additum dictionem plane abnormem reddit. Huc trahimus illa Persii 5. 92. *cedens p. i. zingaria* 184

ubi Jahnus: „*avias* vocabulo satis insolenter significavit errores aniles, quibus ab aviis et nutriculis teneri puerorum animi imbui solent.“ Apud Stat. Silv. 3. 3. 76. interpretes verba nimis premere videntur; dicit poeta Hetruscum a Claudio summis honoribus ornatum, qui eum

i. e. posteritati, successoribus etiamtum remotis, post longum demum temporis spatium eum secuturis. *Nepos* sic quasi repraesentat omnino posteritatem, ut *gens*, γένος est progenies, soboles apud Sil. Ital. 2. 185.

ultimus ex posteris Eurydamantis.

metus deorum; inde dictio *incutere deos*, ut apud Persium. 5. 187. . . . *incussere deos* inflantes corpora (morbis) — ubi v. Jahnum; — vel apud Lucan. 5. 124.

Antistes pavidamque deis immittere vatem — *pavidam deis* est metu deorum incusso, quamquam haec ita etiam explicari possunt, ut iungamus *vatem deis immittere* i. e. in templum deorum. Nam *deus templum* dei significare (inde dictio *dicare deum*), nemiui ignotum: Propert 4. (5.) 9. 74.

i. e. templum Sancti composuere vel aedificare. — At est etiam *deus* i. q. auxilium dei; inde dictio *praebere deos* apud Lucan. 6. 607.

Invitos praeberē deos —

i. e. deos cogere, ut tibi inservirent. — Apud Sil. Ital. 12. 339.

... vulgique *deus* pervenit ad aures

deus est oraculum, at apud Valer. Flacc. 2. 167.

... tum voce *deos*, tum questibus implent

deos est i. q. *coelum*, ut ibd. 6. 726. . . his *coelum* questibus implet. Insolentior dictio Lucan. 3. 100.

. . . namque ignibus atris

Creditur, ut captae, rapturus moenia Romae

Sparsurusque deos —

i. e. templa deorum eversurus, eos sede moturus.

Etiam *Manes* vocabulum diversas recipit significationes. *Manes*, *ossa*, *cineres*, *sepulcrum* promiscue apud poetas usurpari docuit Hertzberg. ad extremum versum Propertii. Jam in lexicis invenitur, *Manes* metonymice accipi pro Inferis, pro cadavere hominis et pro poenis. Exempla desiderata proferre non piget. Stat. Theb. 8. 73.

... quique igne supremo

Arceat exanimis et *manibus* aethera nudis

Commaculet —

i. e. corporibus mortuorum, quae tabo solvuntur. Ut ibd. 11. 738. *manes ponere* i. q. corpus sepe-
lire et Claudian. in Prob. et Olybrii cons. 112.

... turbantur permisto funere *manes*.

Furias, *poenam*, *supplicia* significat Lucan. 10. 336.

... habitant sub pectore *manes*

Ultricesque deae dant in nova monstra furorem —

plane ut apud Auson. Ephemer. (Oratio) 57.

... patitur *suos mens*

conscia (saucia) *manes*.

Verum haec satis plana, sed insolentissima Stat. Theb. 11. 562.

... nondum ille *peractis*

Manibus, ultrices animam servabat in iras —

quod idem esse videtur ac *peracta vita*, *defunctus*, cujus simile exemplum legere me non memini.

De significatione *numinis* nihil habeo, quod addam, nisi id, locum apud Valer. Flacc. 7. 390.

Et iam iam magico per opaca silentia Colchis

Coeperat ire sono monstrataque condere vultus

Numina —

omnino suspectum videri nec probandam Burmanni sententiam, *stellas* dici posse *numina*. Nam quod profert ex Manilio 5. 38. ... *stellarum numina* quinque — aliter se habet, cum genitivus nominis additus sit; *numina* absolute pro *stellis* positum displicet legendumque *lumina*. — Nemini ignotum, apud posterioris aetatis scriptores *numen* esse appellationem Imperatorum, ut apud Eumen. Panegy. Maximiano et Constant. c. 8. „in ortu *numinis sui* Gallias ad obsequium reddidit“ — i. e. simulac Caesar factus est.

Huc tandem pertinet metonymiae genus, ex quo nomen dei ponitur pro re, cui praeest. Quod h. l. tantum in transcurso commemoramus, missis quae tironibus etiam nota sunt, *Ceres*, *Bacchus*, *Mars*, aliis. Pauca tandem addere non pigebit. *Janum* idem esse atque *annum* iam Forcellini in lexico comprobavit loco ex Ausonio petito Epist. 20. 13.

... totidem *venturos* consere *Janos*,

quot tuus aut noster conseruere patres —

Sic enim legendum; non *congere*; nam *consere Janos* legitur etiam Epigr. IV. 7. p. 91. ed. Tollii; at insolentissime dixit Tibull. 3. 6. 8.

Ite procul durum curae genus, ite labores:
fulserit hic niveis *Delius* alitibus —
ubi Dissenius: „*hic Delius* i. q. *hic dies* nove dictum.“ *Jacchus* pro vino dicitur non modo apud Virgilium et Columellam, sed etiam apud Propert. 2. 3. 17.

quantum quod *posito* formose saltat *Jaccho* —

atque sic ibd. 2. 9. 5. de Penelope:

conjugium *falsa* potuit differre *Minerva* —
i. q. opere textorio. — Sed haec, ut dixi, nota omnibus, quemadmodum iam notatum ex Sil. Ital. 5. 404.

Ille sibi *longam Clotho* turbamque nepotum
Crediderat —

i. q. longam vitam; et loco non allato in lexicis apud Persium 1. 94.

... qui *caeruleum* dirimebat *Nerea* delphin —

i. e. mare. Nonnunquam tamen adjectivum nomini additum difficultatem quandam movere videtur. Sil. Ital. 5. 555.

Quem postquam *Libyae* ductor virtute feroci

Exsultare videt ...

Acrius hoc *pulchro Mavorte* accensus in iram ...

Comminus ire viro —

certamen significatur, quod Hannibal sibi gloriosum putabat, sed poterat etiam Viridasio, hosti, decorum significari; et quod implicatius est, ibd. 16. 54.

... seu laeva acies in bella vocaret,

Obliquo telum reflexum *Marte* rotabat —

i. e. si a latere et oblique pugnandum erat, tum *obliquo Marte* i. e. obliquo ictu telum una cum corpore conversum rotabat. Sed singulos locos nunc percensere non vacat.

§. 8. Jam sic absoluta quodammodo quaestione de metonymico usu *personarum*, accedamus ad explicationem nominum *res*, quae sub sensum cadunt, significantium. Atque hic primum notandum, signa externa rei poni nonnunquam pro re ipsa. Sic *taedae*, *thalamus* dici pro nuptiis scimus omnes, mira tamen dictio apud Claudian. Praefat. Epithalam. Pallad et Celerinae 1.

Carmina *per thalamum* quamvis festina negare

Nec volui genero, nec potui socero —

ubi *per thalamum* tempus significat „dum nuptiae celebrantur.“*) Sic nomen *currus* significat iter curru factum. Martial. Ep. 10. 104. 7.

*) Alia significatione Valer. Flacc. 7. 180.

... sacras solita est ubi *fundere taedas*

Colchis —

pro *taedarum lumina*.

Altam Bilbilim et tuum Salonem

Quinto forsitan essedo videbis —

i. e. quinto itineris die essedo facti; etiam i. q. equos, ut Claudian. Epigr. 87. 2.

Surgit in aurigam *currus* —

i. e. equi, qui sublati pedibus anterioribus reclinant se aurigam versus, rotis insistentem. Quemadmodum *juga* i. q. equi jugales, non modo apud Virgilium, sed etiam apud Valer. Flacc. 3. 400.

quo *flammea* nunquam

Sol *juga* sidereos nec mittit Jupiter annos —

et *funis* videtur idem esse, atque *equus funalis* Auson. Epitaph. 35. 9.

Pegasus hinc dexter currat tibi; *laevus* Arion

Funis eat.

Sic *herbam* veteres dixisse pro palma vel victoria dicit Nonius 317. 15. cf. Ribbeck fragm. tragicor. p. 164. et *palmam* non modo victoriam, sed etiam victorem ipsum significare scimus ex lexicis. Exempla proferre supersedeo. At insolentissime dixit Sil. Ital. 6. 545.

Absiste, o juvenis, lacrimis. Patientia *cunctos*

Haec superat *currus* —

i. e. omnes *triumphos*, cui dictioni quae ut apposita contulerunt interpretes, plane diversi sunt generis. *Currum* enim *agere* (pro triumphando) et similia differunt a dictione *superare omnes currus*. *Pulverem* significare campum, in quo concurritur, aciem, arenam, nemo ignorat, at insolentior dictio Stat. Theb. 6. 469.

Vixdum coeptus equis labor et iam *pulvere* quarto

Campum ineunt —

i. e. vix senserunt ullum laborem equi et iam quartum curriculum inchoant. Alia est metonymia apud Propert. 4. 2. 40., ubi *medio pulvere* est i. q. aestate pulverulanta; at plane novum et obscurum Stat. Silv. 1. 4. 125.

... Tu Troica dignus

Saecula et *Euboici* transcendere *pulveris* annos

Nestoreosque situs —

i. e. dignus, qui longius vivas Tithono et sibylla Euboica, quae erat tot annorum, quot pulveris aut arenae micæ manu tenere poterat. Sic *brachia* significat *planctum* Stat. Silv. 2. 1. 23.

Teque patrum gemitus superantem et *brachia* matrum

Complexumque rogos offendi —

qui magis ingemuisti, quam patres solent et magis brachia et pectus lacerasti, quam matres in obitu filiorum, ut *pectus* pro amplexu; inde *pectore ambire* pro amplectendo Lucan. 8. 66. *) Non praeter-

*) Diverso sensu Senec. Oct. 1669.

... Mater in luctum furens

Diduxit avidum pectus atque utero tenus

Exserta vastos ubera in planctus ferit —

i. e. vestes in pectore discidit.

eunda *cassis*, *galea*, *apex bellorum*, quae apud posteriores poetas significant virum fortem, strenuum bellatorem. Stat. Silv. 5. 2. 47.

Ille secundus *apex bellorum* et *proxima cassis* —
i. e. Bolanus, fortissimus post Corbulonem miles. *Culter* i. q. sanguis Stat. Theb. 10. 174.

Pavet omnis ager respersaque *cultris*

Arbor et attoniti currum erexere leones.

Hasta quidnam significet, nonnunquam in ambiguo est; ut apud Claudian. in Rufin. 2. 162.

... *fraternas* ex aequo dividat *hastas* —

quod potest esse vel *exercitus*, vel *sceptrum regnumque*. Idem Claudianus *jugulum* duobus locis nova plane posuit significatione de IV. consul. Honor. 75.

... domini *respersus* uterque

Insontis *jugulo* —
et de nuptiis Honor. et Mar. 327.

infecti jugulis civilibus enses

i. e. sanguine civium. — *Cinis* exitii signum, i. q. exitium apud Catull. 68. 90.

Troia virum et virtutum omnium *acerba cinis* —

ut *funus* i. q. interitus; inde poetarum *pudoris funera* pro pudore extincto. cf. Cortium. Lucan. 4. 231.; *cinis*, *conscia terra* passim de hominibus sepultis vel mortuis. — Explicationem locorum, ubi *pars corporis humani* dicitur pro vitio vel virtute, quod hac parte quodammodo significatur vel ea exercetur, ut *lingua*, *gula*, *venter*, *buccae* dedit Hertzberg. Propert. 3. 11. 55. 56. Sic *manus* non modo significat *artem*, sed etiam ipsum *opus* artis; inde *manus ebore exactae* Propert. 3. 21. 30. *) Sic *cervix* significat vires corporis, et *recipere cervicem* i. q. *vires recipere*. cf. Cortium Lucan. 2. 604. qui apposite comparat *corpus* pro *viribus corporis*, *toris*, loco sane insolentius expresso Luc. 4. 632.

Herculeosque *novo* laxavit *corpore* nodos. **)

Sanguis duplici modo metonymice dicitur, aut pro *caede*; inde *parrus sanguis* i. q. caedes exilis et ignobilis hominis, *magnus sanguis* caedes magni hominis; cf. Hertzberg. Propert. 3. 16. 9.; aut pro *cognatis*; mira tamen oratio Lucan. 7. 179.

Defunctosque patres et cunctas *sanguinis umbras*

Ante oculos volutare suos —

*) Alia est significatio Stat. Theb. 1. 439.

... neque enim meus audeat *istas*
Civis inusque *manus* —

i. e. eo *violentiae* non processerit. *Audere in manus* ex analogia similium dictionum, ut ibd. 2. 129. de tigride: *horruit in maculas* i. e. ita, ut maculosum crinem surrigeret. Sic enim haec explicare malumus, quam recentiorum interpretum sententiam sequi, qui haec interpretantur: *horruit in retia*. In enim praeposito eleganter effectum significat; cf. Lucan. 2. 17.

... in multas *laxantur* Tartara *poenas* —
i. e. ita aperiuntur, ut multos et sceleratos puniendos excipere possint.

**) Notum est, *frontem* indicem esse pudoris et impudentiae; absona tamen Symmachi dictio Epist. 1. 37., oratorem cum *detrimento frontis* affluere — pro: impudenter et petulanter loqui.

et recte observavit Barthius Stat. Theb. 5. 656.

... cui parva *cruoris*

Laetave damna mei —

i. e. qui filium meum sibi traditum aut minus curabat, aut etiam interitu eius laetatur, — *cruorem* pro *filio* esse plane inauditum. Nonnunquam sensus incertus. Valer. Flacc. 1. 681.

... oritur clamor *dextraeque* sequentum

Verba ducis —

i. e. oritur *plausus* manibus datus; sed potest etiam esse: manus in coelum sublatae supplicantium et grates agentium. Dura haec, sed duriora etiam ibd. 2. 243.

Sed tibi nunc quae *digna* tuis ingentibus ausis

Ora feram —

quod Pius explicat: quas dignas tuis ausis *laudes* feram; sed praestat haud dubie legere praeunte Burmanno: . . . *quo* . . . *ore* feram. Scimus quidem *cornua* significare audaciam, quod Horatii et Ovidii loci comprobant. Hi tamen aliter expressi, quam ille apud Sil. Ital. 15. 761.

Femineis laesum *vana inter cornua* corpus

Unguibus aut palmis credas puerilibus ictum —

ubi *vana inter cornua* explicant per *iram muliebrem cassam*, audaciam inanem. Sed sic absolute *cornua vana* positum non ferendum atque veterum interpretum Barthii et Gronovii explicatio accipienda. — *Dens* idem est atque *ictus dentis*; Sil. Ital. 1. 425. *geminare dentem contra venabula* dicit, imitatus Horatianum: *geminant Corybantes aera*. — Huc etiam referimus *hiatus* pro *rictu* positum et conjunctum cum adjectivo Valer. Flacc. 1. 34.

... *Cleonaeo* iam tempora clusus *hiatu*

Alcides —

i. e. rictu leonis Nemeaei, qui erat Herculi pro *galea*; — cf. Sil. Ital. 10. 161.

Sed Stygius *primos* implevit fervor *hiatus*

Et pulmone tenuis demisit anhelitus ignem —

i. e. sudes adusta *os apertum*, quo *preces modo fundere tentabat*, percussit vel penetravit. — Sic *color* pro *flore*, *odor* pro *unguento*, *ignis* vel *fulmen* pro *re fulmine tacta*; inde *colligere ignes* cf. Cortium ad Lucan. 1. 606. Improperie etiam dicta Valer. Flacc. 6. 526.

Barbarica chlamys ardet *acu* tremefactaque vento

Implet equum —

i. q. ardet auro neto depicta, ut Sil. Ital. 14. 658.

Quae radio caelat Babylon vel *murice picto*

Laeta Tyros —

Nemini ignotum, ut *arma*, sit etiam *castra* dici pro militia, tamen quae lexicographi huius significationis proferunt exempla differunt ab exquisitiore Lucani dictione 1. 374.

... per signa *decem felicia castris*

Perque tuos juro quocunque ex hoste triumphos —

quemadmodum notam illam metonymiam *avis* pro augurio positae inflexit insolentius Lucan. 6. 428.

... quis *prodat aves*, quis fulgura coeli

Servet —

t. e. quis istas avium significationes intelligat et enuntiet. Alio sensu *volucres* ibd. 6. 129.

Tot simul e campis *Latiae* fulsere *volucres* —

i. q. aquilae, signa militaria, qui usus vocabuli plane novus. Sic *signum* dicitur homo ipse, qui aut aliquid testatur, aut signum praefert. Tibullus, quem in usu huius figurae parcissimum fuisse iam supra diximus, satis audacter 2. 1. 23.

Turbaque vernarum, saturi *bona signa* coloni,

Ludet —

quod Dissenius explicat: „qui hilaritate sua arguunt saturum herum, largas epulas heri;“ — quae sententia paulo implicatior, cum vernae illi laetitia sua non arguant herum saturum esse, sed *se* saturos esse. — Apud Lucan. 2. 115.

Mille licet gladii *mortis nova signa* sequantur —

ubi Marius intelligitur, caedis signifer, ut apud Senecam Benef. 5. 16., quem locum Cortius citavit, de eodem Mario: „nisi civilis exitii et trucidationis non tantum dederit signum, sed *ipse signum* fuerit.“ — Sic *titulus militiae ultricis* est apud Christianos scriptores *crux*; cf. Prud. contra Symmach. 1. 494., qui idem Peristeph. 12. 45.

Parte alia *titulum Pauli* via servat Ostiensis —
mira notionum confusione *titulum Pauli* dicit pro sepulcro, in quo ossa eius condita erant. Perinde affectata Hamartig. 258.

Dum scatebras fluviorum omnes et operta metalla

Eliquat *ornatus*, solvendi leno pudoris —

ubi *ornatus* signum positum pro eo, quod significat i. e. animi vanitatem et fastum, qui efficit, ut pudor vilipendatur.

§. 9. *Materiam* pro *re inde fabricata*, nomen animalis pro re, ex parte aliqua corporis facta usurpari docuerunt passim interpretes. cf. Hertzberg. l. l. Minus nota nec notata proferre operae pretium videtur. Martial. Epigr. 14. 52. de gutto corneo:

Gestavit modo fronte me iuvenus.

Verum rhinoceros me putabas —

i. e. tantus eram, ut ex rhinocerotis cornu factus esse viderer, et apud Juvenal. 7. 130. „magno cum rhinoceros lavari“ i. q. ingenti gutto ex cornu rhinocerotis. Sic licet satis usitatum poetis *animalis nomen* usurpare pro *pelle* — *clypeus vestitur iuvenco* — audacissime tamen Stat. Achill. 1. 470.

... *septemque* Ajax umbone coruscet

Armenti *reges* —
i. e. coruscare faciat pelles taurorum maximorum, praecipuorum; i. e. clypeum septemplex. —
Simpliciora sunt Stat. Theb. 4. 272.

Velatum *geminæ* deiectu *lynxis* —

i. e. strato vel ephippiis hinc inde propendentibus — et Valer. Flacc. 4. 250.

Adspice et haec *crudis* durata volumina *tauris* —

ubi significantur lora facta ex cruda pelle taurina, *φύροι βοῶν*. At inepta videntur ibd. 6. 705.

... subitos ex ore cruores

Saucia tigris hiat vitamque effundit herilem —

quo loco *tigris* significat pellem, qua galea erat instructa, galeam ipsam, quae ictu hastae perforata sanguinem effundit, quo fit, ut heros moriatur; ubi quanta sit confusio metaphorarum apparet. Perinde insolentissima Martial. de Spectac. libell. Epigr. 3.

Venit et *epoto* Sarmata pastus *equo* —

i. e. sanguine equino.*) — Quemadmodum *ovis* pro *lana* dicitur Tibull. 2. 4. 28. *tingit ovem murice*; sic, ut redeamus ad vocabula materiem significantia, apud Auson. Epist. 20. 4.

... tua Romae

Praecessit *nostrum* sella curulis *ebur* —

i. e. tu ante me consul fuisti; quod audacius dictum, quam apud Ovid. Fast. *ebur curule*, loco in lexicis iam allegato. *Aes* pro *scuto* dixit Ennius (apud Festum p. 242.)

prolato *aere* astitit —

plumam autem poni pro ipsis toris conchyliatis vel vestibis versicoloribus extrinsecus indutis docuit Hertzberg. Propert. 3. 7. 50. Sic *materies* significat *trabem* Vellej. Patere. 2. 17.; — *robur arietem* loco satis affectato Lucan. 6. 137.

Roboris impacti crebros vomit agger ad ictus —

ubi non tam offendit usus vocabuli *roboris*, quam *vomit* sic absolute positum; supplendum: virgulta, saxa, fragmina, quae ex aggere ariete concusso excidunt atque hic quasi vomere videtur. Omnino libro hoc sexto Lucani, quo caerimoniae et ritus magarum veneficarumque describuntur, tanta est hoc in genere licentia significationumque et notionum confusio, ut singula percensere h. l. non vacet. Sic v. 529.

Viventēs animas et adhuc sua membra regentes

Infodit humo —

i. e. corpora per speciem mortua — vel 538. *Ast ubi servantur saxis* i. e. arcis lapideis, vel 625.

Moestum tecta caput squalenti *nube* —

i. e. squalida *coma*, quo loco Cortii erudita est vocabuli huius explicatio; sic v. 672. „*durae nodus hyenae*“ est spina vertebrarum seu articulorum dorsi compages — quae omnia ita sunt immutata, ut quidnam significant nisi ex contextu sententiarum colligi non possit.

§. 10. Iam transeamus ad id genus, quod *partem* vel *insigne* pro *totō* usurpatum exhibet. Sic *nodus* pro *clava* Senec. Harc. Oct. 1662.

*) Sil. Ital. 15. 681.

Arcus erat pharetraque viro atque incocta *cerastis*

Spicula —

i. e. cocto cerastarum sanguine venenato imbuta.

Hic *nodus*, inquit, nulla quem capiet manus,
 Mecum per ignes flagret —
cristae pro *galeis* Prudent. contra Symmach. 1. 488.

ardebat summis crux addita *cristis* —
pennae vel *pinnae* saepe pro *avibus* et ita pro augurio, ut apud Graecos ἀγαθαὶ πτέρυγες. cf. Propert. 3. (4.) 16. 11.

Tuque, o cara mihi, *felicibus* edita *pennis* —
 et Lucan. 1. 588. „monitus *errantis* in aere *pinnae* — *); *rotae* pro *curru*“ Propert. 4. (5.) 10. 42.
 . . . genus hic Rheno iactabat ab ipso,

nobilis *erectis* fundere *gaesa rotis* —
 i. e. dum currus et equos flectit.

Apud Sil. Italicum *dextra* saepe est i. q. miles, vir, et iungitur cum verbis his vocabulis accom-
 modatis, ut 4. 406.

Adspicite! *has dextras* capti *genuere* parentes —
 vel 14. 238.

Henna Deum lucis sacram *dedit ardua dextram* —
 i. e. misit e sacris lucis milites suos, et 15. 385.

. . . sed *dextera* nostrae
 Tam similis non obscuras *mittatur* ad umbras —

i. e. vir tantus, mei similis virtute; inde dictiones: *mercari dextras*, *emere*, *legere*. Perinde arma
 sunt pedites armati Valer. Flacc. 6. 582. — „quotque unus equos, quot funderet arma“ i. e. quot
 equites peditesque in fugam coniiceret. Atque quemadmodum *pampinus*, uvas vestiens, signum
 auctumni pro auctumno ponitur Catull. Priap. 20. 8., sic *sidera* recipit significationem *noctis*, Stat.
 Theb. 10. 299. (304.)

Traxerat insomnis cithara ludoque *suprema*
Sidera iam nullos visurus Alimenus ortus —
 i. q. noctem sibi supremam cantando et ludendo transegerat, simili dictione, atque apud Valer. Flacc.
 2. 371. *nimbos educere luxu* i. q. tempus nimbosum luxuriando traducere. Haec quodammodo expli-
 cari possunt, at quae leguntur Stat. Theb. 5. 459.

Jamque exuta gelu *tepuerunt sidera* longis
 Solibus et velox in tergum revolvitur annus —
 plane abnormia videntur; sensus est longis diebus tepuit aer. *Soles* sane metaphorice dicuntur *dies*,
 sed apud Claudian. de IV. cons. Honorii 215.

Sustinet *accensos* aestivo pulvere *soles* —
 est i. q. *calores*, qui aestivo tempore pulvere etiam augentur nec necessaria Heinsii emendatio: *aesti-*
vos accenso pulvere *soles*. — Ut *sol*, sic etiam *orbis* miram recipit notionem; apud Tibull. 1. 2. 50.
 „aestivo convocat orbe nives“ est i. q. *coelum*, sed plane obscura apud Valer. Flacc. 7. 560.

*) *Pennam* pro *sagitta* dici omnibus notum, ut *ceram* pro *tabella*.

Stabat, ut *extremis desertus ab orbibus axis* —
i. e. Septentrio, qui solus manet, dum aliae stellae merguntur; *orbes* igitur h. l. significat stellas;
axis septentrio, ut *medius axis* i. q. meridies. cf. Cortium Lucan. 2. 586. Sed haec quodammodo
minus huc pertinent. At pars pro toto est insolentius posita Martial. Epigr. 3. 82. 18. *turba pedum*
i. e. puerorum ad pedes stantium et Epigr. 14. 96.

Vilia sutoris calicem monimenta Vatini

Accipe; sed *nasus longior ille* fuit —

ubi Vatinius ipse dicitur *nasus*, i. e. homo derisor, criminator, et plane absona ibd. 2. 36.

Nec tibi *mitrarum*, nec sit tibi *barba reorum* —

i. e. mitras gestantium, i. e. molliorum et effeminatorum hominum barba, quae accurate depilata est.
Ibd. 14. 27.

Captivis poteris cultior esse *comis* —

i. e. *pulchritudinem comae* Germanorum comae tuae elegantia superare potes. — Nec praetereunda
illa apud Catull. 63. 64.

Ego gymnasii fui flos, ego eram *décus olei* —

miro modo sane positum pro *palaestrae*, perinde atque 64. 16.

viderunt . . . corpore *nymphas*

nutricum tenus extantes e gurgite cano —

ubi *nutrices* significat *mammas*; et ibd. 63. 367. *vincula* i. q. moenia. Sic miscentur notiones *nubes*
et *torvitas* insolenter apud Valer. Flacc. 2. 500. de portentio maris;

. . . cuius stellantia *glauca*

Lumina *nube* tremunt —

quae quanto audacius dicta sint, quam illud Horatianum Epist. 1. 18. 94. *nubem supercilio demere*
vel *nubes frontis* apparet. Quicum cf. Argonautic. 6. 685.

At quotiens vis dira ducum densique repente

Aesoniden pressere viri cumque *omnis* in unum

Imber iit, totiens saxis pulsatur et hastis —

i. e. quotiens in unum Jasonem *omnium impetus* fiebat, omnes in eum ruebant, animus Medae ad-
spectu hoc quasi ictibus pulsabatur; — quae plane absurda videtur vocabuli positio. Nota sunt,
totum pro parte poni; *silva* vel *nemus* pro *arbore*; ut apud Lucan. 1. 453.

. . . *nemora alta* remotis

Incolitis *lucis* —

et *pratium* pro *herba*; at addito adjectivo *caerula*, *Neptunia* est i. q. mare. v. Vahlen reliq. poes.
Ennian. p. 24. *)

§. 11. Nonnunquam *res* ponitur pro eo, quod in ea invenitur, *locus* pro eo, quod in eo loco
fit vel factum est, et contra. Etiam hoc in genere mirifica inveniuntur. — De locis Propertii, ubi

*) Absona illa apud Lucan. 10. 1. „Pompei colla secutus“ i. e. Pompeium securi occisum.

adtributum locorum nominibus additur, quod in homines, non in loca cadit, ut apud Propertium 4. (5.) 8. 1.

Disce, quid *Esquilias* hac nocte *fugarit* aquosas —
cf. Hertzberg. Quaest. p. 152., qui locos huc facientes explicavit omnes praeter unum 3. (4.) 17. 15.

Ipse seram vites *pangamque* ex ordine *colles* —
quamquam non *colles* panguntur, sed vites in collibus.

Sic *montibus* additur epitheton, quod refertur ad silvas, quibus mons consitus est, ut Valer. Flacc. 4. 321. *Eryx* dicitur *annosus* et ibd. 7. 55.

Ante meus caesa *descendet Caucasus* umbra

Ac prior Haemonias rapiet super aequora praedas —
i. e., ut Burmannus explicat: „potius quam Pelias potietur vellere, ex Caucasi arboribus naves fabricabor et prior ex Thessalia praedas rapiam.“ *Mons descendere* dicitur, cuius arbores caeduntur. Eadem notionum confusio Stat. Silv. 4. 4. 14.

Ardua iam densae *rarescunt moenia* Romae —

i. e. numerus incolarum urbis imminuitur, proceribus media aestate hinc inde aestivatum proficiscen-
tibus. — Notum est, *mensam* esse i. q. accubantes non modo illo a lexicographis prolato versu Suetonii Octav. 70., quem Bremius recte explanavit, sed etiam Petron. Sat. 43. et Valer. Flacc. 1. 45.

— hospita vina

Inter et *attonitae* mactat solennia *mensae* —*)
quemadmodum *exitia* — *exsilia* locum significant, ubi miseri sunt. Senec. Thyest. 1020.

Phlegethon arenas igneus totas agens

Exitia super nostra violentus fluat; —

stabula pro *equis* stabulantibus Sil. Ital. 3. 383.

Septimaque *his stabulis* longissima ducitur aestas —

i. q. equi illi non vivunt ultra septem annos; — et *terrae* pro hominibus in terra viventibus. cf. interpts. Sil. Ital. 3. 75., qui idem 8. 564. *urbem metere* dixit „Qui *Batulum Nucrasque metunt*“, quod utut audacius dictum, tamen minus offendit quam illud apud Persium 4. 16. „*Anticyras* melior *sorbere meracas*“ i. e. helleborum, — vel Martial. Epigr. 12. 57. 9.

Illinc *paludis malleator* Hispanae

Tritum nitenti fuste verberat saxum —

i. e. *linum* vel saetaba, quae in paludosis locis Hispaniae seruntur, in saxo fuste tundit. Scimus, h. l. praeferrī alteram lectionem *ballucis*, cum vocabulum *malleator* magis ad metalla et monetam accommodatum sit, at duo sunt loci apud Martialem, ubi *palus* similiter usurpatum est. Epigr. 14. 38.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Texantur *reliqua* tecta *palude* tibi —
calamis, qui in aliis paludibus nascuntur, utere ad munienda tecta; et ibd. 14. 160.

*) Martial. Epigr. 27. libell. de spect. „Sextiliane, bibis quantum *subsellia* quinque Solus“ ridenda videtur hyperbole — quantum equites in *quinque subselliis* sedentes.

Tomentum concisa palus Circense vocatur — i. e. palea vel in paludibus crescens arundo *concisa* a pauperioribus *tomentum* vocatur. Huic appositum et perinde insolens ibd. 14. 118.

Massiliae fumos miscere nivalibus undis — Parce —

i. e. *vinā* Massiliae, in fumo inveterata. Aliter coloratus locus Claudian. in Rufin. 2. 244.

Si *calcare Notum* secretaque litora Nili Nascentis jubeas —

ubi *Notus* significat regionem, in qua flat; inde *calcare*. At plane abnormis dictio de raptu Proserp. 3. 316. ubi Ceres dicit: *Accingor lustrare diem*. *Dies* est h. l. *sol* atque hic ponitur pro loco, quo lucet, hoc sensu: quemcunque locum sol videt et ubicunque diem facit. *Dies* enim est etiam *pars* vel *plaga* mundi. cf. Lucan. 7. 189.

Sub quocunque diē, quocunque est sidere mundi — Inde *mutare diem* i. q. migrare, solum mutare. v. Cortium ad Lucan. 8. 217.

Pharsalia pro clade *Pharsalia* pluribus locis apud Lucanum legitur; cf. 1. 38.

... diro *Pharsalia* campos Impleat et Poeni saturenter sanguine manes — ut 6. 313. ubi v. Cortium; perinde ac 7. 800.

... non illum Poenus humator Consulis et Libya *succensae lampade Cannae*

Compellunt — i. e. consul sive ceteri Romani ad Cannas occisi, ut ibd. „coeloque nocenti Ingerit *Emathiam* — i. e. aerem infectum cadaveribus illic iacentibus. Nota sunt illa Ovidii Metam. 14. 472. „*cumulumque Capharea cladis*“ — et quod iam supra commemoravi, Sil. Ital. 1. 61. *avet Aegates abolere* i. q. memoriam cladis ibi acceptae.

Ara et altare non modo deum significat, cui ara est sacrata, ut Ovid. Metam. 15. 574. „*Placat odoratis herbosas ignibus aras*“ sed etiam ipsa sacrificia, quae altaribus imponuntur, libamina, ut *pateris altaria libant*. cf. Servium ad Eclog. Virg. 5. 66. *) — Inde figura, ex qua locus aliquid facere dicitur, quod hi faciunt, qui locum tenent; ut Ovid. Metam. 15. 635.: „*Cortinaque reddidit imo hanc adyto vocem*“ et multo insolentius Lucan. 5. 392.

... *fingit solemnia campus*

Et non admissae *dirimit* suffragia plebis,

Decantatque tribus et vana *versat* in urna —

quae omnia *Caesar* facit in campo regnans; — et Valer. Flacc. 1. 544. „*meae quercus tripodesque*

... hanc pelago misere manum.“ — Huc tandem pertinet illa nominum classis, si *locus* ponitur pro

*) Andax dictio Pers. 6. 47. *ingentes locat Caesonia Rhenos* i. e. simulacra Rheni redemptori minimum poscenti faciendi tradit.

homine, maxime in conviciis. Casaubon. ad Persium 2. 26. „Ut Lucilius carcerem appellavit hominem dignum carcere vel qui carcerem saepe inhabitavit, sic Persius h. l. dixit *bidental*, cui bidental est factum.“ Huic apposita *lupanar* Catull. 42. 13. i. q. mulier prostituti pudoris; *ergastula* pro servis; — *columbar* i. q. homo columbari dignus; — quae lexicographi habent; ut *pileus* i. q. homo amicus, nos nostraque tuens; contra *vomica* i. q. hostis. cf. Jahn. ad Macrob. Saturn. 1. 17. 25.

§. 12. Duo restant metonymiae genera, quae Hertzbergius ita copiose explicavit, ut nihil, quod sit addendum, habeamus. Alterum, cum *argumenta carminum* pro ipsis carminibus ponuntur. Unum tantum locum adiungimus Martial. Epigr. 11. 52. 17.

Ipse tuos nobis relegas licet usque *Gigantas*
Rura vel aeterno proxima *Virgilio* —
i. e. poema de Gigantibus et opus de agricultura, simile Georgicis Virgilio. Alterum exposuit ad Propert. 3. (2.) 16. 37. cui illustrando proferimus ex Sil. Ital. 5. 536. „*surgit sublati campus arenis*“ et Lucan. 4. 117. „*vastos obliquant flumina fontes*“, ubi pleonasmus similis eius, quem vir doctus explicavit; *fontes* enim apud Lucanum sunt ipsae aquae, cursus earum.

Adiungamus tandem scriptioni huic caput de *neutris adiectivorum loco substantivorum* positis, quod sane cum argumento proposito minus cohaeret, tamen hoc habet cum eo commune, quod haec neutra abstracta propius accedunt ad concretorum notionem.*) Nullum magis abstractum, quam *nulla res*, ponitur in casibus, qui vulgo dicuntur obliqui, apud posteriores loco substantivi, quod sciunt qui Tacitum legerunt; — *omnia* iam apud Tibull. 2. 1. 9. „*omnia sint operata deo*“ idem est, atque *omnes* —, ut apud posteriores *totum*; *totum vicisti* i. q. omnes. cf. Spartiani Didius Julianus c. 22; — *humana* i. q. homines Lucret. de n. r. 3. 837. „utrorum ad regna cadendum *Omnibus humanis* esset;“ *divina* i. q. *θεοί* apud Macrobium pluribus locis. Saturn. 1. 11. 1. „quasi vero curent *divina* de servis“ ibd. 1. 17. 1. „sacrorum praesulem te esse . . . *divina* voluerunt.“ *Datum est donum*, qua de re apud Ovid. Metam. 6. 463. *ingentibus datis* — et Senec. de benef. 4. c. 20. „Ingratus est, qui in referenda gratia *secundum datum* videt.“ Huc referenda Virg. Aen. 5. 290. *exstructum* absolute positum pro suggestu; *editum* i. q. altitudo Mamertin. Gratiar. actio Juliano Aug. c. 10; — *interfluum* i. q. *mare* Avien. Ora marit. 311; — et ibd. v. 262. *prominens* i. q. promontorium. Sed haec in praesens mittamus nec explicabimus ea, quae cum genitivo substantivi iunguntur, ut apud Senec. Epist. 17. (2.) 102. „Cum venerit dies, qui *mixtum hoc divini humanique* secernat;“ — Gellius 17. 9. *opertum literarum* i. q. arcanum; — Tacit. Hist. 4. 50. „*obscurum adhuc coeptae lucis* domum proconsulis irrumpunt;“ — Annal. 6. 24. „*factorum dictorumque eius descripta* recitari iussit“ i. q. *ἀπόγραφα*; — ibd. 11. 4. *de admissis Poppeae* i. e. sceleribus; — Sil. Ital. 6. 455. *Consultata Senatus* et ibd. 8. 217. *ex inconsulto Senatus* i. e. ex temerario consulto Senatus; — et vel in su-

*) O. Jahn in commentario Persii 2. 78. dicit Obbarium ad Horac. ep. 1. 2. p. 39. de constructione hac disputasse; equidem locum hunc non potui invenire.

perlative Plaut. Asin. 3. 3. 147. „*Meritissimo eius* quae volet faciemus;“ — Prudent. Peristeph. 13. 20. *profunda Christi* i. q. mysteria — et quae sunt id genus alia, nondum, quod sciam, ratione certa digesta atque explanabimus h. l. hanc constructionis rationem, ex qua neutra haec non genitivum nominis, sed alterum adiectivum adiunctum habent. Primam efficiunt classem, quae sunt epitheta maris eademque pro mari ponuntur. Auctor Halieut. 6. apud Wernsdorf. T. I. *Spumea purpureis* dum sanguinat unda *profundis* — i. e. in imo mari. Sic apud Auson. Mosell. 28. *vitreum profundum* — Incerti vot. ad Ocean. 10. (Wernsdorf. IV. p. 316.) *glaucum profundum* et passim apud poetas nec singula exempla proferre operae; hoc tantum addam, etiam de inferis sic dici Senec. Oedip. 575.

... sive tentari *abditum* — Acheron *profundum* mente non aequa tulit. *Caerula* ita usurpari, notum omnibus; cf. Sil. Ital. 14. 380.

Caerula nigranti findit *spumantia* sulco — et apud Rutil. Itinerar. 1. 316. „Mons . . . *caerula* curva premit“ i. e. mare; quod processu montis curvatur, quasi submovet; ut ibd. 2. 30. . . *caerula Etrusca*. Huc pertinent *altum*; ut apud Priscian. Perieg. *Aegaeum altum*;*) — et *humida*, ut apud Lucil. Aetna 336. — *nubes pigra humida* circumstupere dicitur i. q. quieta et sopita maria.

Altera classis est nominum, quae terrae qualitatem denotant. Saepe legitur sic *culta*. Virgilium Aen. 8. 63. 10. 141., ubi prostat *pinguia culta*, imitatus Claudianus dicit in Probrini et Olybr. cons. 53. per *Lydia culta* despumat Pactolus arenas — et Mamertin. Panegy. Geneth. Maxim. c. 4. *suorum cultorum* vastator — i. e. suae terrae. Plane sic *arata* ponitur Propert. 1. 6. 32. *Lydia arata* (tingit Pactolus). — Inde *devia*, *invia*, *avia* substantivi naturam induerunt. Claudian de IV. cons. Honor. 482.

Miranturque novas *ignota per avia* valles — et de raptu Proserp. 2. 167. *latebrosa rimatur devia* — quemadmodum Sil. Ital. 3. 632. *deveva per invia* et ibd. 12. 376. *nemorosa per invia*. Huc referenda *inhospita*; cf. Sil. Ital. 4. 751. *tanta inter inhospita* i. e. locis tam desertis; tum *praerupta*, *abrupta*, *declinia*; Sil. Ital. 3. 634.

... sed prona *minaci* — *Praerupto* turbant et cautibus obvia rupes — quae tautologiam exhibent languidam; — et Lucan. 2. 421. *Dexteriores* petens montis *declinia* — ut Virgil. Aen. 6. 788. *supera alta tenentes* i. q. *δπέριστα δώματ' ἔχοντες*. Apud Stat. Theb. 10. 516. de equis: . . . *immane paventes abruptum* potest esse *ingentem voraginem*, sed *immane* etiam ad *paventes* trahi potest adverbii loco i. q. *valde*.

Sequantur quae ad *coelum* referuntur et *aerem*. Passim legitur *convexa*, quod vocabulum aut *ardua* epitheton adjunctum habet, aut *supera*. Halieut. alt. 86.

*) Affectata nimis illa apud Valer. Flacc. 3. 429.

... *ardenti nitidum iubar evocat alto* — i. e. precibus ad Solem factis evocat eum ex alto, quod surgente sole ardescere videtur.

Ardua turbinibus mundi *convexa* sonoris — Impelli — et Senec. Hippolyt. 220. *convexa tetigit supera*; cf. Symmach. Epist. 1. 46. — Alterum est *serenum*, quod saepe pro substantivo ponitur et sensu translato etiam usurpatur. Jam apud Virgil. Georg. 1. 393. *serena aperta* legimus; Stat. Theb. 11. 135. *dulci terrae caruere sereno*; ibd. 5. 11. de gruibus: *Phariis defensa serenis*; Sil. Ital. 5. 58. *Caligo . . nitido resoluta sereno*; Mamertin. Gratiar. actio Juliano Aug. c. 28. *nitentia per orbem serena*. Ambigua sunt, quae apud Valer. Flacc. 1. 332. dicit Alcimedea Jasonis discessu anxia:

Nec de te credam nostris ingrata serenis — nam potest esse sensus: ingrata in deos non credam, etiamsi boni aliquid de te comperero; aut, ut Burmannus explicat, non credam diebus serenis in terra, putans te fortasse maxima pericula in mari subire. In metaphorico usu huius vocabuli poetae recentiores luxuriabantur; ut Claudian. de. IV. cons. Honor. 183. *Risitque tuo Natura sereno* — i. e. fulgore, claritate, quam tu effundebas; Incerti Epithal. Auspicii et Aell. 27.

Blandito dominam venerata sereno. Tertium sic est usurpatum *nubilum* Senec. Oedip. 45.

Tristisque mundus *nubilo* pallet novo — i. e. vapor terrae incubuit et lunam stellasque nubibus subito texit. Apud Virgil. Georg. 4. 196., ubi apes adverso vento volantes, lapillis veluti saburra oneratae, dicuntur se librare per *inania nubila*, incertum, utrum nomen sit substantivum; nam *inane* absolute usurpari pro loco inani et sic dici *immensum inane*, *vastum inane* — omnes sciunt.

Sunt etiam, quae *rem* vel *qualitatem*, quam vulgo dicunt, indicent. *Pingue* pro pinguedine est apud Lucret. de n. r. 1. 257. . . hinc *fessae* pecudes *pingui* (sic enim edidit Lachmannus); et addito adjectivo Virg. Georg. 3. 124. *denso distendere pingui*, vel Persius 3. 32. *fibris increvit opimum pingue*. *Color* sic significatur Ovid. A. A. 1. 291.

Signatus tenui media inter cornua *nigro* — i. e. nigra macula; ut apud Sil. Ital. 16. 349. de equo:

ubi Dissenius: „*Quod multi probarunt maxima cura* manifesto tenuius et debilius hoc fortiore et ponderosiore verbo, quod bene Lachmannus revocavit. Est vero *maxima causa* nunc ipsa praestantissima puella, maximo certamine digna, a forensibus rebus ducta locutione.“ Inde explicandus locus obscurior Stat. Theb. 5. 457., ubi Hypsipyle a Jasone relicta conqueritur:

... *sua jura* cruentum

Phasin habent; alios, Colchi, generatis amores —

sic quidem nunc legunt, per metaptosin quandam verba explicantes, ut sit: Phasis cruentus sua jura habet. Verum antiqua lectio est: *mea jura* Phasis habet — i. e. Jasonem, legitimis taedis mecum conjunctum, maritum, Phasis habet vel tenet. Sic *ius* dicitur qui jure *meus* est, ut apud Macrob. Saturn. 1. 11. 7. „*Vis tu cogitare eos (servos), quos ius tuum vocas, isdem seminibus ortos eodem frui coelo*“,

apparitoribus; *conditio* i. q. puella in matrimonium collocanda, cf. Bremi ad Sueton. Jul. Caes. c. 27; *impressio* pro turba hominum se prementium, alia — audacius innovavit orationem 8. 1. 3. „quoniam et *accusatio* partes suas plane exhibebat“ et ibd. 8. 1. 3. (damnat.) „Tamen quia Saturnini imaginem domi habebat, suffragiis eum tota *cognitio* oppressit“ i. e. collegium iudicum, nec probanda altera lectio *concio*. Apud eum etiam verbum saepe abstracto accommodatur, quod hominem spectat; cf. 1. 6. 11. „sic *deorum sprete monitus excandescunt*“ quae lectio non est sollicitanda, ut 1. 7. 8. „Propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Aterii Rufi . . . *somnium* certo eventu *admonitum est*“ i. e. Aterius somnians per quietem citius de nece sua admonitus est. Sed haec adtigisse satis sit, cum exempla apud Valerium passim prostent. Huius generis est etiam Macrobi. Somn. Scip. 1. 8. 13. „Simul omnia, quae vel *contentio sibi* fingit detractans fidem, vel quae ipsa veritas suggerit, in divisionis membra mittamus —“ quo loco Janus optimo jure Zeunii conjecturam *tibi* reiicit, et *contentionem* pro contendente ipso positum esse statuit, quod prorsum convenire cum more Macrobiani exemplis h. l. prolati comprobatur. — Neminem offendet *volatus* pro *volante*; cf. Sil. Ital. 17. 55.

Tantum progressos liquida sub nube *volatus* (secuti) i. e. aquilas, — et adjectivo addito 1. 421. . . . *Spartanis latratibus* actus —

i. e. canibus Spartanis latrantibus. Verum quamquam *fuga* pro fugiente legitur, ut apud Graecos *αἱ φυγαί* pro *οἱ φυγάδες*, insolentius tamen Martial. Epigr. 4. 4. 11.

Quod *vulpis fuga* . . . olet —
pro lotio, quod effundit vulpis fugiens. — *Mora*, de cuius vocabuli metaphorica significatione infra dicemus, i. q. morans etiam apud Propert. 4. (5.) 8. 78.

Aut *lectica tuae* sidat aperta *morae* —
i. e. tibi commoranti. Mira autem dictio apud Senec. Thyest. 282. . . . Tota iam ante oculos meos

Imago caedis errat, ingesta *orbitas*
In ora patris —
quae verba significare videntur filios ab Atreo interfectos et patri morte eorum orbatos appositos. Sic *solatium* apud posteriores idem est atque *socius*. cf. Symmach. Ep. 5. 91. „Ipse memento promissi, quo te ob causas publicas peregrinationis meae fore *solatium* spondidisti.“

Tandem addendum, rumorem et famam, quam quis de se spargit vel alii de eo divulgant, pro homine poni. Notissima sunt *fabula*, *historia*, *sermo* usurpata pro homine, qui historiae argumentum et materiam praebet, perinde atque apud Juven. 10. 167.

Ut pueris placeas et *declamatio* fias —
et insolentius etiam apud Persium 1. 29.

Ten' *cirratorum centum dictata* fuisse
Pro nihilo pendas?
i. e. in tantam te venisse opinionem eloquentiae, ut dicta tua soleant puerorum dictata esse; ubi v. Jahnum. Mira sunt, quae apud Plinium leguntur Epistol. 8. 1. „Encolpius quidem lector, ille *seria nostra*, illae deliciae . . . sanguinem reiecit“ ubi homo ipse dicitur *seria* (res), quicum *seria* tractamus,

quem in rebus seriis magni facimus, ut *res* simpliciter pro homine Auson. Profess. Burdig. 6. 1.

O flos juvenum,

Spes laeta patris

Nec certa tuae

Date res patriae —

qui praematura morte periturus eras. *Acroama* novum in modum usurpatum Prudent. Peristeph. 2. 322.

Egon' cachinnis venditus

Acroma festivum fui.

Acro(a)ma active usurpatur pro festivo vel iocoso recitatore, at hoc loco Praefectus dicit indignabundus, se praebuisse materiam jocosum et dicteriorum.

§. 3. Iam accedamus ad explicationem locorum, quibus non *homo* designatur, sed *res* vocabulo abstracti. Atque primum disputaturi sumus de locis, ubi pro instrumento ponitur id, quod eo efficitur, vel effectus est pro causa efficiente. Sic *semita*, *iter* pro *scalis* ponitur, quae transitum parant. cf. Pomponius Secund. (Armorum iudicium) apud Ribbeck. p. 197.

Tum praë se portant ascendibilem *sémitam* —
et Stat. Theb. 8. 842. . . . Aerium sibi portat *iter*.

Metus pro imagine terrorem incutiente pluribus locis, ut Valer. Flacc. 1. 402.

Tum caelata *metus* alios gerit arma Eribotes —
i. e. arma, in quibus caelatae erant res terribiles; ut 4. 181.

Et varii pro rupe *metus* —

i. q. voces et stridores; et apud Stat. Theb. 9. 107. de galea, *excelso terrore* comante, i. e. equinis cristis terrorem afferentibus. — *Mora* pro *νώδων* — *προβολή* legi, scimus omnes et lexicographi multis exemplis docent; cf. Valer. Flacc. 6. 97.

Quos duce Teutagone crudi *mora* corticis armat —

i. e. scutum ex cortice arboris, quod moratur tela; quam vocabuli significationem uberrime explicavit Cortius Lucan. 6. 217. Illa apud Stat. Theb. 4. 220.

Hinc atque inde *morae* jaculis et ferrea curru

Silva tremit —

duplici modo explicari possunt. Si virgula ponitur post *morae*, sensus erit: Amphiarai manus impeditas, occupatas fuisse, undique cincti agminibus, quorum milites jacula ferebant; sin post *jaculis*, ut Barthius fecit, *morae jaculis* erit graecum *ἰοδόχη* — locis ad id factis jacula circum ipsum morantur. *Mors* pro telo, quo infertur, saepe legitur usurpatum. Lucan 7. 517.

. nusquam rexere sagittas;

Sed petitur solus, qui campis imminet aer.

Inde cadunt *mortes*. —

ut Sil. Ital. 6. 793.

Mille cavet lapsos circum cava tempora *mortes* —

et ibd. 9. 368.

... per pectora saevas

Exceptat *mortes*.

Paulo aliter dixit Senec. Herc. Oet. 520 de Nesso:

... Cum longum ferens

Arundo vulnus tenuit haerentem fugam

Mortemque fixit, ille iam quaerens diem

Tabum fluentem vulneris dextra excipit —

ubi *mortem fixit* non est *mortem figendo intulit*, nam Nessus etiam tum vivebat, sed *vulnus mortiferum* intulit, quod mors demum insecuta est; ut apud Valer. Flacc. 7. 608.

... plena sic semina dextra

Spargere gaudet agris oneratque novalia bello —

i. e. semine, ex quo nascituri erant bellatores. — Huius porro generis sunt illa apud Lucan. 3. 590.

Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas

Divisitque animam sparsitque in vulnera *letum* —

quod Cortius recte explicat: „*Letum* spargit in vulnera, quia id, per quod moriebatur, i. e. proluviem sanguinis, in utraque vulnera spargebat.“ Nam *mors* idem est atque *sanguis* Virgil. Aen. 9. 345.

... cui comminus ensem

Condidit assurgenti et *multa morte* recepit

Purpureum —

et Prudent. contra Symmach. 2. 676.

Undantesque meum in gremium diffundere *mortes*

Et sub iure fori non noxia colla secare —

et ibd. v. 1125.

Tu *mortes* miserorum hominum prohibeto *litari* —

i. e. sanguinem innocentium immolari. Qua de re apud Sil. Ital. 1. 388.

... Oraque dum calcat iam singultantia *letum* —

sic accipienda, ut *letum* pro sanguine erumpente positum esse dicamus, ut apud Virgil. Aen. 9. 333. truncum *sanguine singultantem* — nec est necessaria correctio *caede*. Nam *singultus* pro sanguine emicante, qui singultum efficit, est apud Valer. Flacc. 3. 218.

... vatique patescat

Armorum fragor et *tepidi singultibus* agri

Labentum —

Qui *trepidi* legunt, inducunt ridendam hyperbolen; recte sine dubio Burmann: „*tepidi* recenti sanguine, quem moribundi singultantes eiecerant.“ — Huc pertinent *caedes*, *vulnus* pro *telo*. cf. Auson. Epitaph. her. 19. 3. de Polydoro:

Confixus iaculis et *ab ipsa caede* sepultus

Condor in hoc tumultu bis Polydorus ego —

i. e. telis et terra obrutus. *Vulnus* autem ponitur sic non modo locis a lexicographis enotatis, sed etiam apud Valer. Flacc. 3. 196.

. . . cessere iubae raptumque per auras

Vulnus —

quae audacissime dicta sunt hoc sensu: iubae (crista) retro cesserunt percussae a telo et sic, cum nihil solidi esset post eas, irritum telum per aures ferebatur. Lucan. 8. 384.

. . . sed longe tendere nervos,

Et, quo ferre velint, permittere *volnera* ventis*)

i. e. sagittas; incerta magis ibd. 3. 315.

. . . tractentur *vulnera* nulla

Sacra manu —

ubi tractare *vulnera* dixit ut arma tractare, *gladium* tractare, ita ut sit: arma impia manus nostra ne tractet. At possunt etiam haec ita accipi: nemo versetur neve occupatus sit in vulneribus inferendis. Ambigua etiam Sil. Ital. 9. 520.

. . . dextramque ipso de *vulnere* vellit —

ubi *vulnus* esse potest ferrum vel telum, quo vulnus infligere conabatur, vel locus, qui ad vulnus infligendum petebatur. *Fraus* apud Sil. Ital. 1. 219. idem est atque *venenum*:

Altrix bellorum bellatorumque virorum

Tellus, nec fidens nudo *sine fraudibus* ensi —

veneno, quo barbari tela et gladios inficere solebant. — ut ibd. 1. 323.

Aut hydro imbutas bis noxia tela sagittas

Contendit nervo atque insultat *fraude* pharetrae —

i. e. iactat se emittens sagittas venenatas.

Iam *frigus* vocabulum ita nonnunquam praepostere ponitur, ut omnem explicationem eludere videatur. Stat. Silv. 1. 2. 155.

Excludunt radios silvis *decussa* vetustis

Frigora; perspicui vivunt in marmore fontes —

ubi Calderinus: „*frigora* i. q. umbra vetustate ramorum implicatorum in se mutuo prognata et *incussa*“ quae nihil illustrant, nec quidquam faciunt ad expediendam loci difficultatem Virgilii verba Georg. 2. 404.

Frigidus et silvis Aquilo *decussit* honorem —

cum folia et fructus recte dicantur vento *decuti*, *frigora* durissime. Recte haud dubie mutavit le-

*) Omnino audacissima, quamquam ab interpretibus silentio transmissa dictio Lucani 3. 707.

. . . multus *sua vulnera* puppi

Adfixit moriens et rostris abstulit ictus —

i. e. carnis laceratae vel abscisae frusta; vel ibd. 8. 352.

. . . quid *vulnera* nostra

In Scythios spargis populos —

i. e. cur Scythia etiam facis copiam sanguinis Romanorum effundendi? —

ctionem Handius et edidit *demissa*. Alius generis, at eadem audacissime sunt dicta Martial. Epigr. 2. 46.

. . . . Tu spectas hiemem succincti lentus amici

Pro scelus! et *lateris frigora trita tui* —

i. e. tritam obsoletamque tunicam amici tui; ubi non solum *frigora*, sed etiam *latus* miram significationem recepit. Cum enim *a latere cuius esse* significet idem ac familiarem alicuius esse et amicum, Martialis ultra progressus *latus* simpliciter usurpavit pro amico, ut 6. 68.

Ille tuum, Castrice, *dulce latus*.

Tertius locus, quamquam huc minus pertinet, est ibd. 1. 55.

Quisquam picta colit Spartani *frigora saxi* —

i. e. frequentat atria divitum marmore strata, quod natura sua gelidum est.

Nefas significare rem perniciosam, improbe peractam, docuit Barthius ad Stat. Theb. 2. 295.

Teque etiam, infelix, perhibent, Jocasta, decorum

Possedisse nefas; vultus *hac laude* colebas,

Heu quibus, heu placitura toris —

ubi non tam haeremus in usu vocabuli *nefas* pro monili positi, quamquam hoc etiam satis novum, cum *nefas* metaphorice de homine tantum nefario dicatur, pro prodigio vel re insolita, monile autem ex se nihil sit portentosi, quam in vocabulo *laude*, quod h. l. idem est atque *ornatu*, ab omnibus laudato.

Locis, ubi *umbra* ponitur pro eo, quod umbram facit, addimus locum ex Statii Achill. 1. 421.

Phocis et Aoniae iaculis rarescitis *umbrae* —

i. e. caeduntur silvae umbriferae, caesis ad jacula facienda arbusculis. *Umbram* pro ramis et frondibus usurpari docuit copiose Hertzberg. Propert. 1. 18. 21. et cum idem etiam sit, atque locus opacus et umbrosus, conjungitur etiam cum adjectivis, quae ad locum referuntur, ut apud Propert. 3. 3. 1. *mollis umbra*.

Huic classi porro adnumerandum *fama* usu satis tritum, ut apud Sil. Ital. 6. 629.

Et triplicis monstri *famam* et spectacula captas

Mira boves . . . Egit ovans —

quae vix operae pretium protulisse; jam audacius Valer. Flacc. 7. 605.

Non aliter medio quam si telluris hiatu

Terga recentis equi primumque invasit habenis

Murmur et in summa Lapithes apparuit Ossa —

ubi *murmur* significat *dentes* primum frendentes et recusantes fremitu frenum domitoris accipere; — perinde atque in adpositione *tumultus* legimus Tibull. 2. 3. 43.

. . . . urbisque *tumultus*

portatur validis mille *columna* iugis —

ubi Disсенius: portatur marmor per vicos terrorem iniiciens civibus, ne intrementibus vicis aedes ruant.“

Litura, quod significat apud Propert. 4. 3. 4.

Haec erit e lacrimis facta *litura* meis —
maculam, audacius usurpatum Stat. Silv. 2. 1. 18.

. . . Lacrimis en et mea carmina in ipso

Ore natant tristesque cadunt in verba *liturae* —
 i. e. lacrimae, quae *lituram* faciunt.

Tumor, *fragor* pro fluctibus posita, verba etiam notioni huic accommodata adjuncta habent,
 ut Senec. Herc. Oet. 733.

. . . Et lassus *tumor*

In litore ipso *spumat* —

et Stat. Theb. 5. 337. . . . *geminus fragor ardua canet*

Per latera —

i. e. undae canentibus spumis fragorem efficientes ab utroque navis latere albescunt.

Quam varia sit significatio vocabulorum *lux*, *lumen*, notum omnibus. *Lux* non modo *diem* designat, qui lucem fert, et *stellas* lucentes, ut apud Cicer Arat. 96.

Illae quae fulgeat *lucēs* ex ore corusco —

quem locum lexicographi non omiserunt, sed etiam *facem*, lampadem, unde etiam adjectiva recipit illi notioni convenientia; cf. Stat. Theb. 1. 435.

Isque ubi progrediens *numerosa luce* per alta

Atria —

quaemadmodum apud Claudian. Idyll. 5. 28.

. . . ducit *flamma* choros —

i. e. ὄψιδες δὲ ἐξαίοντο. Quaeri potest, quidnam apud Senec. Oedip. 324.

Ambitque densus regium fumus caput

Ipsosque circa spissior vultus sedet

Et nube densa *sordidam lucem* abdidit —

lucem significet. Fortasse tristes regis *oculos*.

De translata notione vocabuli *luminis*, quod spiramentum, foramen, rimam significat, per quam lumen immittitur, nihil habeo, quod dicam, cum haec iam a lexicographis sint praeoccupata; unum tantum quod proferam dignum videtur Sil. Ital. 2. 211.

Ac simul *aerati* radiavit *luminis* umbo —

i. e. clipei bractea aerea inducti et fulgurantis, quod audacissime dictum nec comparandum, id quod Ruperti fecit, cum ejusmodi phrasibus, ut ibd. 167.

Poscebat votis gemmataque *lumina* peltae,
 quod omnino aliter coloratum.

Huc spectant, quae legimus apud Sil. Ital. 6. 162. de ingenti serpente:

Isque ubi ferventi *concepta incendia* pastu

Gurgite mulcebat rapido et spumantibus undis —

i. e. *sitim* stomachum urentem et conceptam ferventi pastu, i. e. cibo et carne vivorum animalium;

quod hanc ob causam dicimus mire dictum, quia *incendia* h. l. plane absolute positum est, sine ullo vocabulo definiente, aliter quam apud Lucret. 4. 869.

Corpora, quae *stomacho* praebent incendia *nostro*.

Pulsus dicitur pro *remis* et quae ad remos pertinent epitheta, pulsui accommodantur; exempla ex Sil. Ital. 14. 487. *senis pulsibus* — ut ex Lucan. 3. 536. *senis verberibus* — pro sex remigum ordinibus — nota in vulgus, nec proferenda, quae iam a Siebelisio in edit. Ovidii Metamorph. explicata inveniuntur, *periculum*, 8. 196.

. . . . ignarus sua se tractare *pericla* —

i. e. pennas et ceras, ex quibus pater alas faciebat mox filio perniciem allaturas. Nec quemquam morabuntur apud Stat. Theb. 8. 51.

. . . . Cur autem *avidis* Ixiona frango

Verticibus —

i. e. celeribus rotae recursibus; — quod autem apud Prudent. Peristeph. 1. 71. prostat:

Nexibus manus utrasque *flexus* involvit *rigor* —

differt a Virgiliano *rigor ferri*, a Lucretiano *rigor auri*, cum genitivus nominis non sit additus. — *Nox* pro fumo, quo tenebrae efficiuntur, est apud Valer. Flacc. 7. 597.

§. 4. Nonnunquam contra id, quod efficit, ponitur pro eo, quod efficitur. *Annus* vel tempus procreat fruges; inde idem significat atque proventum annuum; *magnus annus* i. q. frugum ubertas; cf. Lucan. 3. 70.

Effusis *magnum* Libye tulit imbribus *annum* —

vel ibd. 451.

. . . . curvoque *solī cessantis* aratro

Agricolae raptis *annum* flevere *juvencis* —

i. q. agricolae curvo aratro insidentes flevere, agrum cessantem nullas fruges edere. Sic *auctumnus* idem ac vinea vel vindemia, ut apud Martial. Epigr. 12. 57. 22.

Nec in Falerno colle *major auctumnus*.

Mira hoc in genere apud Sil. Ital. 5. 671.

. . . . Premit omnis dextera ferrum

Armatusque jacet servans *certamina* miles —

i. e. vultum trucem, oris ferociam, quae certamine oritur; et ibd. 8. 663.

Turbinibus furit insanis et *proelia* ventus

Inque oculos inque ora rotat —

i. e. nubem pulveris, proelio excitatam, vel etiam tela a proeliantibus emissa. Quae notiones quo modo misceantur nisi ex sententiarum contextu, cognosci nonnunquam non potest. Apud Stat. Theb. 1. 52.

Servantem tamen assiduis circumvolat alis

Saeva dies animi scelerumque in pectore Dirae —

i. e. inquietudo, vigiliae; nam quemadmodum *nox* designat quietem, sic *dies* motum et perturbationem. Absona etiam videntur apud Senec. Herc. Oet. 1834.

Non est gemendus nec gravi urgendus *nece*

Virtute quisquis abstulit fatis iter —
ubi Bothius nihil adnotavit, quem solum inspicere potui; *nece* pro *fletu* dictum esse putamus, qui mortem vel mortuum prosequi solet. Sic apud Prudent. Peristeph. 11. 7. 4.

Dissociata putrem laxent tabulata carinam
Conceptumque bibant undique *naufragium* —
undam ex naufragio irrupentem et Valer. Maxim. 8. 239.

Sic ubi Mygdonios *placatus* sacer abluit Almo —
i. e. vulnera, quae sacerdotes Cybeles sibi infligebant, vel sanguinem. Pertinent huc quodammodo *aditus*, *reditus* dicta pro *gradu* vel *pede*, quo *aditus* efficitur, apud Catull. 41. 26.
quare huc *aditum* ferens, —

et ibd. 63. 47. *reditum* tetulit i. q. pedem rettulit.
Simplicissima sunt apud Tibull. 1. 8. 32.

Carior est auro juvenis, cui levia fulgent
Ora nec *amplexus* aspera barba terit —

i. e. puellam amplectentem; at magis offendunt apud Propert. 3. (4.) 14. 3.
Quod non infames exercet corpore *laudes*
Inter luctantes nuda puella viros —

ubi *laudes* dicitur certamen ludicrum, quod plausum excitare solet. cf. Hertzberg. h. l. — altera lectio *ludos* haud dubie simplicior. Affectata etiam et incerta Lucan. 2. 404.

Fontibus hic vastis immensos concipit amnes
Fluminaque in gemini spargit *divortia* ponti —

ubi Cortius *divortia ponti* dicit esse ipsam Italiam, quae geminum mare separat, quamquam verba haec simplicius accipi possunt, ut *divortia ponti* dicamus esse ipsum hoc loco divisum mare. — Minus apposita h. l. quae legimus apud Propert. 4. 3. 15.

Omnibus heu portis pendent mea noxia *vota* —
i. e., ut Hertzbergius docet, tabellae, quibus ream votorum publice se confitebatur, quae effecerunt, ut tabellas suspenderet. Mira significatione *secta* ponitur pro libris, quos *secta* scripsit, apud Prud. Peristeph. 5. 182.

Librosque opertos detege,
Quo *secta* pravum seminans
Justis cremetur ignibus.

§. 5. Quae animi vel mentis actionem significant pro re ponuntur, quam haec actio spectat. Unum modo proferam vocabulum *votum*, in cuius significatione varianda multum sibi indulserunt scriptores. Ovid. Metam. 1. 273.

... et deplorata coloni
Vota jacent —

vota est *sata*, ut omnino quae promittitur res aut voto petitur *votum* dicitur. Apud Virgil. Aen. 3. 279.

votis non est votorum persolvendorum causa, sed i. q. tus atque victimae, ut apud Lucan. 9. 989.

Erexit subitas congestu cespitis aras
Votaeque turicremos non irrita fudit in ignes.

Vota absolute dici pro *nuptiis* docuerunt interpretes Eumenii Panegyri. Maximian. et Constant. c. 1.

§. 6. Id quod significatur vel proditur re, usurpatur pro re ipsa vel signo. Nota illa apud Virgil. Aen. 8. 731.

Miratur rerumque ignarus imagine gaudet
 Adtollens humero *famamque* et *fata* nepotum — plane ut apud Senec. Phoen. 363.

Felix Agaue; *facinus* horrendum manu,
 Qua fecerat, *gestavit* et spoliū tulit
 Cruenta nati Maenas in partes dati.

Fecit scelus, sed misera non ultra suum
 Scelus hoc cucurrit —

ubi Bothius: „Sed *facinus* quo modo manu gestetur, scio cum ignarissimis neque *gestavit* et *tulit* simul inferri recte arbitror. —“ Locus tamen sanus esse videtur; *facinus tulit* i. e. caput abscisum filii, quod facinoris erat signum; plane ut ibd. Thyest. 663.

Adfixa inhaerent dona, vocales tubae,
 Fractique currus, spolia Myrtoi maris
 Victaeque falsis axibus pendent rotae
 Et omne gentis *facinus*.

Asyndeton, quod fit omissio *quidem* (Fecit quidem scelus), neminem apud Senecam offendet. cf. Bothium ipsum Troad. v. 619. Comparari possunt illa apud Stat. Theb. 9. 333.

... clypeusque insignis et auro

Lucidus Aoniae caelatur *origine* gentis —
 insculpta in eo erant primordia populi Trojani — ut Sil. Ital. 2. 405.

... per singula laetis

Lustrat ovans oculis et gaudet *origine* regni —
 gaudet adspectu caelaturae armorum, clypei imprimis, originem Carthaginis adumbrantis. Sic *descriptio* est Macrobio *figura*, *γραφή*, *tabula* cf. interprts. Macrobi. Comment. in Somnium Scip. 2. 5. 13., ut *argumentum* id quod *imago*, non solum locis a lexicographis prolatis, sed etiam apud Eumenium pro restaur. schol. c. 21. „res gestae per diversa regionum *argumenta* recoluntur.“ Inde etiam significat, quod vulgo dicimus Attribut — cf. L. Janum Macrobi. Saturn. 1. 19. 17. — Sic etiam *triumphus* vario modo usurpatur; apud Valer. Maxim. 2. 10. 3. „Quod aliquanto maius videbitur, si quis cognoscat, lecti illius frontem *Macedonicis triumphis* fuisse adornatam“ — i. e. imaginibus triumphi — at apud Claudian. de IV. consul. Honorii 227.

Omnes thalamo conferte triumphos —
i. e. praedam ex triumphis partam. Aliis locis *triumphi* i. q. gentes, de quibus triumphatum est. —
Sic *solemnia* pro his quae in celebrandis solemnibus offeruntur, apud Tacit. Annal. 3. 2. „odores
aliaque funerum solemnia cremabant“, graecum *κτερίσματα*; ut *lectio* pro *libro*. cf. Macrob. Saturn.
7. 13. 16. „haec sunt quae lectio pontificalis habet“ — *scriptio* pro *scripto*. — Nec plane reiicienda,
quamquam nunc oblivioni data, explicatio obscuri loci Stat. Silvar. 4. 6. 58.
aspersa sedes

Sustinet occultum Nemeaeo tegmine *sexum* —

ubi Barthius: „*sexum* i. q. *διδοῖα*, quae sedens in aspero saxo pelle leonina texerat Hercules, ne
perderetur castitas mensae.“ Nam *sexum* dici pro membro, quo sexus distinguitur, probat Pli-
nius h. n. 52. 8. 9.*) Simili modo Stat. Achill. 1. 355.

Haec calathos et sacra ferat; tu frange regendo

Indocilem sexumque tene, dum nubilis aetas

Solvendusque pudor —

ubi, ni fallimur, *pudor* id esse videtur, quod *ζώνη*, cingulum, virginitatis signum, hoc sensu: vince,
doma sexum muliebrem, donec aetas nubilis et cingulum adhuc solvendum, i. e. donec nondum in
mariti erit potestate. — Sic *sacra* non ipsam sacrificandi actionem significare, sed res sacrificio ob-
latas, victimas, latices, herbas magicas, docuit Hertzbergius Propert. 1. 1. 20.

At vos, deductae quibus est fallacia lunae

et labor in magicis *sacra* piare focis.

Aura est sanguis, qui erumpens auram quasi emittit, apud Valer. Flacc. 3. 107.

... compressaque mandens

Aequora *purpuream* singultibus exspuit *auram* —

ubi fortasse imitatus est Virgil. Aen. 9. 349.

Purpuream vomit ille *animam* —

quamquam h. l. nunc altera lectio, ut praestantior, ex Servio recepta; et Lucan. 5. 279.

... non *anima* galeam fugiente ferire —

i. e. sanguine erumpente galeam ferire. Ambigua sane apud Valer. Flacc. 7. 525. de serpente:

... et *trepidantia* torsit

Sibila —

quae ita explicanda videntur, ut *sibila* accipiamus pro ore et hiatu *sibila* emittente, quem circum-
agit et torquet; quamquam possunt etiam ita intelligi: teli instar *sibila* emittit. Ut *vulnera* dicuntur

*) Nota est vocabuli huius significatio pro imbecillitate feminea, ut apud Sil. Ital. 3. 114.

Si solo adspicimur *sexu* firmumque relinqui,

Cedo equidem —

nec proferenda, ubi *sexus* marem vel feminam significat. cf. Auson. Epitaph. 34. 1.

Viginti atque novem genetrici Callicrateae

Nullius *sexus* mors mihi visa fuit —

undetriginta liberos peperit; nec filii tamen, nec filiae mortem vidi.

stridere. Virg. Aen. 4. 689., quamquam non ea stridunt, sed sanguis ex iis emissus. Inde *aer arundinis* Lucan. 9. 827.

Quam segnis Scythiae *strideret* arundinis *aer* —

sibilus, quem arundo volans facit, et Sil. Ital. 8. 128.

Oscula, qua steteras, bis terque infixit arenae;

Deinde amplexa sinu late *vestigia* fovit,

Ceu cinerem orbatae pressant ad pectora matres —

i. e. arenam, in qua *vestigia* erant; et apud Rutil. Itiner. 1. 247.

... in *Euboicis natatibus* —

i. e. in aquis Euboicis, ubi crebri natatus fiunt. Huc etiam referenda videntur Prud. Peristeph. 6. 88.

Nec calcare *sacram cremationem*

Aut adstare Leō prius licebat —

i. e. *rubum* flagrantem; — et *procinctus* apud posteriores scriptores pro *exercitu* dictum. cf. Barth.

Adversar. lib. 41. 12. Inflectitur etiam sic significatio vocabuli *haustus* Prudent. Peristeph. 10. 984.

... *haustus* vel patentes inspicere,

Lateatne quidquam —

i. e. os, quod haurit, vel oris hiatus; — ut Valer. Flacc. 3. 442.

... ter tristia tangens

Arma simul vestesque virum, *lustramina* ponto

Pone jacet —

i. q. sordes, purgamenta.

§. 7. Sed iam accedamus ad alteram disputationis partem, in qua explicanda est contraria ratio mutatae significationis, cum concretum, quod dicimus, pro abstracto positum invenimus. Atque primum disputaturi sumus de nominibus virorum usurpatis pro re, quam quodammodo repraesentabant, pro virtute, qua insignes erant, pro opere et arte, quam colebant. Sic, ut exordiamur a summo consulis nomine, *consul* apud poetas posteriores idem est atque *annus*. Martial. Epigr. 3. 93. 1.

Cum tibi *trecenti consules*, Vetustilla,

Et tres capilli quattuorque sint dentes —

quae dictio insolentissima esse videtur, ut ibd. 8. 45. 4.

Amphora centeno consule facta minor —

i. q. amphora, cui propter temporis vetustatem aliquid deperit, et Claudian. de IV. consul. Honor. 390.

Spectandosque iterum nulli celebrantia ludos

Circumflexa rapit contenis saecula consul —

i. q. annus centesimus ad finem adducit saeculum. Apud Auson. Parent. 29. 4.

Uno quamvis tu *consule* major eras —

apprime huc faciunt; minus affectata ibd. Epitaph. 33. 1.

Laeta bis octono tibi iam sub *consule* pubes

Cingebat genas —

cum *sub consule* aliter dicatur, atque simpliciter sine praepositione. Quaesita etiam apud Prudent. Peristeph. 10. 406.

Nunc dogma nobis Christianum nascitur

Post *evolutos* mille demum *consules*

Ab urbe Roma —

ubi *evoluti consules* i. q. anni, qui praeterierunt a condita urbe. — *Nestor* dicitur pro *senectute* loco notissimo Juvenal. 12. 128.

Vivat Pacavius, quaeso, vel *Nestora totum* —

ubi *vivere Nestora*, dictum est, ut apud Propert. 2. (3). 22. 25.

Jupiter Alcmenae *geminas* requieverat *arcetos* —

et Tibull. 3. 6. 52. longas *requiescere noctes* — est accusativus temporis. cf. Hertzberg. l. l. — Apud Martialem sic hoc nomen saepius usurpatur; cf. Epigr. 10. 24. 11.

Post *hunc Nestora* non diem rogabo —

i. q. post hoc aevi Nestorei spatium. Similia sunt Stat. Theb. 11. 237.

. . . mox grande coactus

Ingemuit victorque furit per viscera *Nessus* —

pro veneno ab eo oriundo; — et Stat. Silv. 3. 40.

Pacatus mitisque veni

. . . . quem te Maenalis Auge

Confectum thiasis et multo *fratre* madentem

Detinuit —

fratre i. q. Baccho vel *vino*. Sic *mater* diversa significatione positum invenimus apud Senecam. Herc. Oet. 390., ubi Deianira conquerens de marcescente corporis flore dicit:

. . . Quidquid in nobis fuit

Olim petatum, cecidit et partu labat

Materque multum rapuit ex illo mihi —

mater est puerperium; at ibd. Troad. 964. dividere *matrem* idem est, atque affectum matris. Verum haec iam in lexicis inveniuntur nec omissum est *vir* positum pro virilibus. cf. Lucan. 10. 133.

Dux ponitur pro *arte ducis*, *miles* pro militari audacia, *pater* pro paterno affectu. cf. Cortius ad Lucan. l. l.; — sic eleganter Sil. Ital. 4. 403.

Quis *vos* heu! vobis pavor abstulit!

i. e. animum et virtutem vestram vobis abstulit. cf. Gronov. ad Senecae Thyest. 242. Sic *Hannibal* est id, quod animo concepta virtus et audacia Hannibalis Sil. Ital. 1. 345.

Accensae exsultant mentes *haustusque medullis*

Hannibal exagitat —

ut aliis locis *homo* vel *res* ponitur pro memoria ejus, imagine vel desiderio; cf. Virgil. Aen. 1. 720.

. . . At memor ille

Matris Acidaliae paulatim abolere *Sychaeum*.

Incipit —

ut apud Sil. Ital. 1. 61. *abolere Aegates*; cf. Dissen. ad Tibul. 4. 9. 1. Etiam pro *metu*, cf. Sil. Ital. 8. 33. *excutere* sollicito *Fabium* i. q. eripere metum Fabii. Ceterum quatenus notionis intercedat significatio, id nonnunquam tantummodo ex totius sententiae contextu elucet. Lucan. 10. 103.

Sat fuit indignum, Caesar, mundoque tibi que,

Pompeium facinus meritumque fuisse Pothini —
est *Pompeius* i. q. caedes Pompei, plane ut ibd. 432.

... *vixitque* Pothini

Munere Phoebeos *Caesar dilatus* in ortus —
i. e. caede ejus in posterum diem dilata. — Sic nomen viri est pro cineribus ejus, reliquiis feralibus Lucan. 8. 770.

... sed te Cornelia, *Magne*,

Accipiet nostraque manu transfundet in urnam —
et quod multo insolentius est, Claudian de rapt. Proserp. 2. Praef. 43. „*rubuit Busiride Nilus*“ —
i. e. sanguine Busiridis; et Stat. Theb. 3. 363.

... ipse ego *fessus*

Quinquaginta illis heroum ingentibus *umbris* —

i. e. ingentium heroum caedibus.

Atque hic adjungere liceat, quamquam res ipsa in vulgus nota, *post* et *ante* cum nomine jungi, ita ut ex sensu aliquid sit supplendum, plerumque *mors* — *ortus*. cf. L. Jahni Proleg. ad Macrob. c. III. p. 42. Comment. in Somn. Scipion. 1. 1. 7. „*animam post animal* non perire“ — ut ibd. 2. 17. 14. „*post corpus* animae velut ad patriam revertuntur“ — quam dictionem Anonymus laud. Hercul. v. 11. in ineptum convertit, dicens, *post viscera* et v. 88. *post membra*. Similia ut „*post Phaeacas* Ulixis navigationem describit“ vel „*Post Africam* Italiam conscripsit“ explicavit Jahnius l. l. At durior dictio Valer. Flacc. 7. 10. ... non haec mihi certe

Nox erat *ante* tuos, juvenis fortissime, *vultus* —

i. e. antequam te videram, noctem non ita insomnem agebam. Apud Lucan. 6. 145. „*ante feras* Rhodani *gentes*“ i. e. devictas; 2. 498. „*post aquas*“ i. e. superatas; 5. 474. „*pōst pignora*“ i. e. sublata — Cortius notare non omisit. Paulo aliter dicta Sil. Ital. 7. 596.

Qualis *post juvenem* — Rector erat Pylus —

i. e. post juventutem. Rarissime etiam *intra* sic usurpatur; cf. Sil. Ital. 14. 466.

At princeps generis quanto majora paravit

Intra pastorem sibi nomina —

i. e. pastoricia sua vita et fortuna contentus. — Sed haec iam mittamus. — Etiam opus hominis significatur nomine ejus. Duo sunt insignia hujus usus exempla. Quod Propert. 1. 14. 12. simpliciter dixit:

Lesbia *Mentoreo* vina bibas *opere* —
insolentius Martial. Epigr. 11. 12.

et Juven. 8. 104. Te potare decet gemma, qui *Mentora* frangis —

... rarae sine *Mentore* mensae.

Martial. Epigr. 10. 48.

... *immodico* sexta *Nerone* calet —

i. e. thermis *Neronianis*; — de spectac. libell. Ep. 12.

Inter *Caesareae* discrimina saeva *Dianae* —

i. e. venationis a Domitiano *Caesare* in amphitheatro exhibitae, ubi adjectivum nomini *Dianae* additum dictionem plane abnormem reddit. Huc trahimus illa Persii 5. 92.

Dum *veteres avias* tibi de pulmone revello —

ubi Jahnus: „*avias* vocabulo satis insolenter significavit errores aniles, quibus ab aviis et nutriculis teneri puerorum animi imbui solent.“ Apud Stat. Silv. 3. 3. 76. interpretes verba nimis premere videntur; dicit poeta *Hetruscum* a Claudio summis honoribus ornatum, qui eum

... *longo* transmisit habere *nepoti* —

i. e. posteritati, successoribus etiamtum remotis, post longum demum temporis spatium eum secuturis. *Nepos* sic quasi repraesentat omnino posteritatem, ut *gens, γένος* est progenies, soboles apud Sil. Ital. 2. 185.

Gens extrema viri campis deletur *Iberis* —

ultimus ex posteris *Eurydamantis*.

Sic etiam *deus* multifariam impropria invenitur significatione. Nonnunquam idem est atque *metus* deorum; inde dictio *incutere deos*, ut apud Persium 5. 187.

... *incussere deos* infantes corpora (morbis) —

ubi v. Jahnus; — vel apud Lucan. 5. 124.

... *jussus* sedes laxare verendas

Antistes pavidamque deis immittere vatem —

pavidam deis est metu deorum incusso, quamquam haec ita etiam explicari possunt, ut *jungamus vatem deis immittere* i. e. in templum deorum. Nam *deus templum* dei significare (inde dictio *dicare deum*), nemini ignotum; Propert 4. (5.) 9. 74.

Sic *Sanctum* *Tatiae* composuere *Cures* —

i. e. templum *Sancti* composuere vel aedificare. — At est etiam *deus* i. q. auxilium dei; inde dictio *praebere deos* apud Lucan. 6. 607.

Pronum erat, o juvenis, quos velles, inquit, in actus

Invitos praebere *deos* —

i. e. deos cogere, ut tibi inservirent. — Apud Sil. Ital. 12. 339.

... vulgique *deus* pervenit ad aures —

deus est *oraculum*, at apud Valer. Flacc. 2. 167.

... tum voce *deos*, tum questibus implent —

deos est i. q. *coelum*, ut ibd. 6. 726. ... his *coelum* questibus implet. Insolentior dictio Lucan. 3. 100.

... namque ignibus atris

Creditur, ut captae, rapturus moenia Romae

Sparsurusque deos —

i. e. templa deorum eversurus, eos sede moturus.

Etiam *Manes* vocabulum diversas recipit significationes. *Manes*, *ossa*, *cineres*, *sepulcrum* promiscue apud poetas usurpari docuit Hertzberg. ad extremum versum Propertii. Jam in lexicis invenitur, *Manes* metonymice accipi pro Inferis, pro cadavere hominis et pro poenis. Exempla desiderata proferre non piget. Stat. Theb. 8. 73.

... quique igne supremo

Arceat exanimis et *manibus* aethera nudis

Commaculet —

i. e. corporibus mortuorum, quae tabo solvuntur. Ut ibd. 11. 738. *manes ponere* i. q. corpus sepe-
lire et Claudian. in Prob. et Olybrii cons. 112.

... turbantur permisto funere *manes*.

Furias, *poenam*, *supplicia* significat Lucan. 10. 336.

... habitant sub pectore *manes*

Ultricesque deae dant in nova monstra furorem —

plane ut apud Auson. Ephemer. (Oratio) 57.

... patitur *suos mens*

conscia (saucia) *manes*.

Verum haec satis plana, sed insolentissima Stat. Theb. 11. 562.

... nondum ille *peractis*

Manibus, ultrices animam servabat in iras —

quod idem esse videtur ac *peracta vita*, *defunctus*, cujus simile exemplum legere me non memini.

De significatione *numinis* nihil habeo, quod addam, nisi id, locum apud Valer. Flacc. 7. 390.

Et iam iam magico per opaca silentia Colchis

Coeperat ire sono monstrataque condere vultus

Numina —

omnino suspectum videri nec probandam Burmanni sententiam, *stellas* dici posse *numina*. Nam quod profert ex Manilio 5. 38. ... *stellarum numina* quinque — aliter se habet, cum genitivus nominis additus sit; *numina* absolute pro *stellis* positum displicet legendumque *lumina*. — Nemini ignotum, apud posterioris aetatis scriptores *numen* esse appellationem Imperatorum, ut apud Eumen. Panegy. Maximiano et Constant. c. 8. „in ortu *numinis sui* Gallias ad obsequium reddidit“ — i. e. simulac Caesar factus est.

Huc tandem pertinet metonymiae genus, ex quo nomen dei ponitur pro re, cui praeest. Quod h. l. tantum in transcurso commemoramus, missis quae tironibus etiam nota sunt, *Ceres*, *Bacchus*, *Mars*, aliis. Pauca tandem addere non pigebit. *Janum* idem esse atque *annum* iam Forcellini in lexico comprobavit loco ex Ausonio petito Epist. 20. 13.

... totidem *venturos* consere *Janos*,

quot tuus aut noster conseruere patres —

Sic enim legendum; non *congere*; nam *consere Janos* legitur etiam Epigr. IV. 7. p. 91. ed. Tollii; at insolentissime dixit Tibull. 3. 6. 8.

Ite procul durum curae genus, ite labores: —
fulserit *hic* niveis *Delius* alitibus —
ubi Dissenius: „*hic Delius* i. q. *hic dies* nove dictum.“ *Jacchus* pro vino dicitur non modo apud Virgilium et Columellam, sed etiam apud Propert. 2. 3. 17.

quantum quod *posito* formose saltat *Jaccho* —

atque sic ibd. 2. 9. 5. de Penelope:

conjugium *falsa* potuit differre *Minerva* —
i. q. opere textorio. — Sed haec, ut dixi, nota omnibus, quemadmodum iam notatum ex Sil. Ital. 5. 404.

Ille sibi *longam Clotho* turbamque nepotum
Crediderat —

i. q. longam vitam; et loco non allato in lexicis apud Persium 1. 94.

... qui *caeruleum* dirimebat *Nerea* delphin —

i. e. mare. Nonnunquam tamen adjectivum nomini additum difficultatem quandam movere videtur. Sil. Ital. 5. 555.

Quem postquam *Libyae* ductor virtute feroci

Exsultare videt ...

Acrius hoc *pulchro Mavorte* accensus in iram ...

Comminus ire viro —

certamen significatur, quod Hannibal sibi gloriosum putabat, sed poterat etiam Viridasio, hosti, decorum significari; et quod implicatius est, ibd. 16. 54.

... seu laeva acies in bella vocaret,

Obliquo telum reflexum *Marte* rotabat —

i. e. si a latere et oblique pugnandum erat, tum *obliquo Marte* i. e. obliquo ictu telum una cum corpore conversum rotabat. Sed singulos locos nunc percensere non vacat.

§. 8. Jam sic absoluta quodammodo quaestione de metonymico usu *personarum*, accedamus ad explicationem nominum *res*, quae sub sensum cadunt, significantium. Atque hic primum notandum, signa externa rei poni nonnunquam pro re ipsa. Sic *taedae*, *thalamus* dici pro nuptiis scimus omnes, mira tamen dictio apud Claudian. Praefat. Epithalam. Pallad et Celerinae 1.

Carmina *per thalamum* quamvis festina negare

Nec volui genero, nec potui socero —

ubi *per thalamum* tempus significat „dum nuptiae celebrantur.“*) Sic nomen *currus* significat iter curru factum. Martial. Ep. 10. 104. 7.

*) Alia significatione Valer. Flacc. 7. 180.

... sacras solita est ubi *fundere taedas*

Colchis —

pro *taedarum lumina*.

Altam Bilbilim et tuum Salonem

Quinto forsitan essedo videbis —

i. e. quinto itineris die essedo facti; etiam i. q. equos, ut Claudian. Epigr. 87. 2.

Surgit in aurigam *currus* —

i. e. equi, qui sublati pedibus anterioribus reclinant se aurigam versus, rotis insistentem. Quemadmodum *juga* i. q. equi jugales, non modo apud Virgilium, sed etiam apud Valer. Flacc. 3. 400.

quo *flammea* nunquam

Sol *juga* sidereos nec mittit Jupiter annos —

et *funis* videtur idem esse, atque *equus funalis* Auson. Epitaph. 35. 9.

Pegasus hinc dexter currat tibi; *laevus* Arion

Funis eat.

Sic *herbam* veteres dixisse pro palma vel victoria dicit Nonius 317. 15. cf. Ribbeck fragm. tragicor. p. 164. et *palmam* non modo victoriam, sed etiam victorem ipsum significare scimus ex lexicis. Exempla proferre supersedeo. At insolentissime dixit Sil. Ital. 6. 545.

Absiste, o juvenis, lacrimis. Patientia *cunctos*

Haec superat *currus* —

i. e. omnes *triumphos*, cui dictioni quae ut apposita contulerunt interpretes, plane diversi sunt generis. *Currum* enim *agere* (pro triumphando) et similia differunt a dictione *superare omnes currus*. *Pulverem* significare campum, in quo concurritur, aciem, arenam, nemo ignorat, at insolentior dictio Stat. Theb. 6. 469.

Vixdum coeptus equis labor et iam *pulvere* quarto

Campum ineunt —

i. e. vix senserunt ullum laborem equi et iam quartum curriculum inchoant. Alia est metonymia apud Propert. 4. 2. 40., ubi *medio pulvere* est i. q. aestate pulverulanta; at plane novum et obscurum Stat. Silv. 1. 4. 125.

... Tu Troica dignus

Saecula et *Euboici* transcendere *pulveris* annos

Nestoreosque situs —

i. e. dignus, qui longius vivas Tithono et sibylla Euboica, quae erat tot annorum, quot pulveris aut arenae micas manu tenere poterat. Sic *brachia* significat *planctum* Stat. Silv. 2. 1. 23.

Teque patrum gemitus superantem et *brachia* matrum

Complexumque rogos offendi —

qui magis ingemuisti, quam patres solent et magis brachia et pectus lacerasti, quam matres in obitu filiorum, ut *pectus* pro amplexu; inde *pectore ambire* pro amplectendo Lucan. 8. 66. *) Non praeter-

*) Diverso sensu Senec. Oct. 1669.

... Mater in luctum furens

Diduxit avidum pectus atque utero tenus

Exserta vastos ubera in planctus ferit —

i. e. vestes in pectore discidit.

eunda *cassis*, *galea*, *apex bellorum*, quae apud posteriores poetas significant virum fortem, strenuum bellatorem. Stat. Silv. 5. 2. 47.

Ille secundus *apex bellorum* et *proxima cassis* —
i. e. Bolanus, fortissimus post Corbulonem miles. *Culter* i. q. sanguis Stat. Theb. 10. 174.

Pavet omnis ager respersaque *cultris*

Arbor et attoniti currum erexere leones.

Hasta quidnam significet, nonnunquam in ambiguo est; ut apud Claudian. in Rufin. 2. 162.

... *fraternas* ex aequo dividat *hastas* —

quod potest esse vel *exercitus*, vel *sceptrum regnumque*. Idem Claudianus *jugulum* duobus locis nova plane posuit significatione de IV. consul. Honor. 75.

... domini *respersus* uterque

Insontis *jugulo* —
et de nuptiis Honor. et Mar. 327.

infecti jugulis civilibus enses

i. e. sanguine civium. — *Cinis* exitii signum, i. q. exitium apud Catull. 68. 90.

Troia virum et virtutum omnium *acerba cinis* —

ut *funus* i. q. interitus; inde poetarum *pudoris funera* pro pudore extincto. cf. Cortium. Lucan. 4. 231.; *cinis*, *conscia terra* passim de hominibus sepultis vel mortuis. — Explicationem locorum, ubi *pars corporis humani* dicitur pro vitio vel virtute, quod hac parte quodammodo significatur vel ea exercetur, ut *lingua*, *gula*, *venter*, *buccae* dedit Hertzberg. Propert. 3. 11. 55. 56. Sic *manus* non modo significat *artem*, sed etiam ipsum *opus* artis; inde *manus ebore exactae* Propert. 3. 21. 30. *) Sic *cervix* significat vires corporis, et *recipere cervicem* i. q. *vires recipere*. cf. Cortium Lucan. 2. 604. qui apposite comparat *corpus* pro *viribus corporis*, *toris*, loco sane insolentius expresso Luc. 4. 632.

Herculeosque *novo* laxavit *corpore* nodos. **)

Sanguis duplici modo metonymice dicitur, aut pro *caede*; inde *parrus sanguis* i. q. caedes exilis et ignobilis hominis, *magnus sanguis* caedes magni hominis; cf. Hertzberg. Propert. 3. 16. 9.; aut pro *cognatis*; mira tamen oratio Lucan. 7. 179.

Defunctosque patres et cunctas *sanguinis umbras*

Ante oculos volutare suos —

*) Alia est significatio Stat. Theb. 1. 439.

... neque enim meus audeat *istas*
Civis inusque *manus* —

i. e. eo *violentiae* non processerit. *Audere in manus* ex analogia similium dictionum, ut ibd. 2. 129. de tigride: *horruit in maculas* i. e. ita, ut maculosum crinem surrigeret. Sic enim haec explicare malumus, quam recentiorum interpretum sententiam sequi, qui haec interpretantur: *horruit in retia*. In enim praeposito eleganter effectum significat; cf. Lucan. 2. 17.

... in multas *laxantur* Tartara *poenas* —
i. e. ita aperiuntur, ut multos et sceleratos puniendos excipere possint.

**) Notum est, *frontem* indicem esse pudoris et impudentiae; absona tamen Symmachi dictio Epist. 1. 37., oratorem cum *detrimento frontis* affluere — pro: impudenter et petulanter loqui.

et recte observavit Barthius Stat. Theb. 5. 656.

... cui parva *cruoris*

Laetave damna mei —

i. e. qui filium meum sibi traditum aut minus curabat, aut etiam interitu eius laetatur, — *cruorem* pro *filio* esse plane inauditum. Nonnunquam sensus incertus. Valer. Flacc. 1. 681.

... oritur clamor *dextraeque* sequentum

Verba ducis —

i. e. oritur *plausus* manibus datus; sed potest etiam esse: manus in coelum sublatae supplicantium et grates agentium. Dura haec, sed duriora etiam ibd. 2. 243.

Sed tibi nunc quae *digna* tuis ingentibus ausis

Ora feram —

quod Pius explicat: quas dignas tuis ausis *laudes* feram; sed praestat haud dubie legere praeunte Burmanno: . . . *quo* . . . *ore* feram. Scimus quidem *cornua* significare audaciam, quod Horatii et Ovidii loci comprobant. Hi tamen aliter expressi, quam ille apud Sil. Ital. 15. 761.

Femineis laesum *vana inter cornua* corpus

Unguibus aut palmis credas puerilibus ictum —

ubi *vana inter cornua* explicant per *iram muliebrem cassam*, audaciam inanem. Sed sic absolute *cornua vana* positum non ferendum atque veterum interpretum Barthii et Gronovii explicatio accipienda. — *Dens* idem est atque *ictus dentis*; Sil. Ital. 1. 425. *geminare dentem contra venabula* dicit, imitatus Horatianum: *geminant Corybantes aera*. — Huc etiam referimus *hiatus* pro *rictu* positum et conjunctum cum adjectivo Valer. Flacc. 1. 34.

... *Cleonaeo* iam tempora clusus *hiatu*

Alcides —

i. e. rictu leonis Nemeaei, qui erat Herculi pro *galea*; — cf. Sil. Ital. 10. 161.

Sed Stygius *primos* implevit fervor *hiatus*

Et pulmone tenuis demisit anhelitus ignem —

i. e. sudes adusta *os apertum*, quo *preces modo fundere tentabat*, percussit vel penetravit. — Sic *color* pro *flore*, *odor* pro *unguento*, *ignis* vel *fulmen* pro *re fulmine tacta*; inde *colligere ignes* cf. Cortium ad Lucan. 1. 606. Improperie etiam dicta Valer. Flacc. 6. 526.

Barbarica chlamys ardet *acu* tremefactaque vento

Implet equum —

i. q. ardet auro neto depicta, ut Sil. Ital. 14. 658.

Quae radio caelat Babylon vel *murice picto*

Laeta Tyros —

Nemini ignotum, ut *arma*, sit etiam *castra* dici pro militia, tamen quae lexicographi huius significationis proferunt exempla differunt ab exquisitiore Lucani dictione 1. 374.

... per signa *decem felicia castris*

Perque tuos juro quocunque ex hoste triumphos —

quemadmodum notam illam metonymiam *avis* pro augurio positae inflexit insolentius Lucan. 6. 428.

... quis *prodat aves*, quis fulgura coeli

Servet —

t. e. quis istas avium significationes intelligat et enuntiet. Alio sensu *volucres* ibd. 6. 129.

Tot simul e campis *Latiae* fulsere *volucres* —

i. q. aquilae, signa militaria, qui usus vocabuli plane novus. Sic *signum* dicitur homo ipse, qui aut aliquid testatur, aut signum praefert. Tibullus, quem in usu huius figurae parcissimum fuisse iam supra diximus, satis audacter 2. 1. 23.

Turbaque vernarum, saturi *bona signa* coloni,

Ludet —

quod Dissenius explicat: „qui hilaritate sua arguunt saturum herum, largas epulas heri;“ — quae sententia paulo implicatior, cum vernae illi laetitia sua non arguant herum saturum esse, sed *se* saturos esse. — Apud Lucan. 2. 115.

Mille licet gladii *mortis nova signa* sequantur —

ubi Marius intelligitur, caedis signifer, ut apud Senecam Benef. 5. 16., quem locum Cortius citavit, de eodem Mario: „nisi civilis exitii et trucidationis non tantum dederit signum, sed *ipse signum* fuerit.“ — Sic *titulus militiae ultricis* est apud Christianos scriptores *crux*; cf. Prud. contra Symmach. 1. 494., qui idem Peristeph. 12. 45.

Parte alia *titulum Pauli* via servat Ostiensis —
mira notionum confusione *titulum Pauli* dicit pro sepulcro, in quo ossa eius condita erant. Perinde affectata Hamartig. 258.

Dum scatebras fluviorum omnes et operta metalla

Eliquat *ornatus*, solvendi leno pudoris —

ubi *ornatus* signum positum pro eo, quod significat i. e. animi vanitatem et fastum, qui efficit, ut pudor vilipendatur.

§. 9. *Materiam* pro *re inde fabricata*, nomen animalis pro re, ex parte aliqua corporis facta usurpari docuerunt passim interpretes. cf. Hertzberg. l. l. Minus nota nec notata proferre operae pretium videtur. Martial. Epigr. 14. 52. de gutto corneo:

Gestavit modo fronte me iuvenus.

Verum rhinocerot me putabas —

i. e. tantus eram, ut ex rhinocerotis cornu factus esse viderer, et apud Juvenal. 7. 130. „magno cum rhinocrote lavari“ i. q. ingenti gutto ex cornu rhinocerotis. Sic licet satis usitatum poetis *animalis nomen* usurpare pro *pelle* — *clypeus vestitur iuvenco* — audacissime tamen Stat. Achill. 1. 470.

... *septemque* Ajax umbone coruscet

Armenti *reges* —

i. e. coruscare faciat pelles taurorum maximorum, praecipuorum; i. e. clypeum septemplicem. —
Simpliciora sunt Stat. Theb. 4. 272.

Velatum geminae deiectu *lynxis* —

i. e. strato vel ephippiis hinc inde propendentibus — et Valer. Flacc. 4. 250.

Adspice et haec *crudis* durata volumina *tauris* —

ubi significantur lora facta ex cruda pelle taurina, *φύροι βοῶν*. At inepta videntur ibd. 6. 705.

... subitos ex ore cruores

Saucia tigris hiat vitamque effundit herilem —

quo loco *tigris* significat pellem, qua galea erat instructa, galeam ipsam, quae ictu hastae perforata sanguinem effundit, quo fit, ut heros moriatur; ubi quanta sit confusio metaphorarum apparet. Perinde insolentissima Martial. de Spectac. libell. Epigr. 3.

Venit et *epoto* Sarmata pastus *equo* —

i. e. sanguine equino.*) — Quemadmodum *ovis* pro *lana* dicitur Tibull. 2. 4. 28. *tingit ovem murice*; sic, ut redeamus ad vocabula materiem significantia, apud Auson. Epist. 20. 4.

... tua Romae

Praecessit *nostrum* sella curulis *ebur* —

i. e. tu ante me consul fuisti; quod audacius dictum, quam apud Ovid. Fast. *ebur curule*, loco in lexicis iam allegato. *Aes* pro *scuto* dixit Ennius (apud Festum p. 242.)

prolato *aere* astitit —

plumam autem poni pro ipsis toris conchyliatis vel vestibis versicoloribus extrinsecus indutis docuit Hertzberg. Propert. 3. 7. 50. Sic *materies* significat *trabem* Vellej. Patere. 2. 17.; — *robur arietem* loco satis affectato Lucan. 6. 137.

Roboris impacti crebros vomit agger ad ictus —

ubi non tam offendit usus vocabuli *roboris*, quam *vomit* sic absolute positum; supplendum: virgulta, saxa, fragmina, quae ex aggere ariete concusso excidunt atque hic quasi vomere videtur. Omnino libro hoc sexto Lucani, quo caerimoniae et ritus magarum veneficarumque describuntur, tanta est hoc in genere licentia significationumque et notionum confusio, ut singula percensere h. l. non vacet. Sic v. 529.

Viventēs animas et adhuc sua membra regentes

Infodit humo —

i. e. corpora per speciem mortua — vel 538. *Ast ubi servantur saxis* i. e. arcis lapideis, vel 625.

Moestum tecta caput squalenti *nube* —

i. e. squalida *coma*, quo loco Cortii erudita est vocabuli huius explicatio; sic v. 672. „*durae nodus hyenae*“ est spina vertebrarum seu articulorum dorsi compages — quae omnia ita sunt immutata, ut quidnam significant nisi ex contextu sententiarum colligi non possit.

§. 10. Iam transeamus ad id genus, quod *partem* vel *insigne* pro *totō* usurpatum exhibet. Sic *nodus* pro *clava* Senec. Harc. Oct. 1662.

*) Sil. Ital. 15. 681.

Arcus erat pharetraque viro atque incocta *cerastis*

Spicula —

i. e. cocto cerastarum sanguine venenato imbuta.

Hic *nodus*, inquit, nulla quem capiet manus,
 Mecum per ignes flagret —
cristae pro *galeis* Prudent. contra Symmach. 1. 488.

ardebat summis crux addita *cristis* —
pennae vel *pinnae* saepe pro *avibus* et ita pro augurio, ut apud Graecos ἀγθαὶ πτέρυγες. cf. Propert. 3. (4.) 16. 11.

Tuque, o cara mihi, *felicibus* edita *pennis* —
 et Lucan. 1. 588. „monitus *errantis* in aere *pinnae* — *); *rotae* pro *curru*“ Propert. 4. (5.) 10. 42.
 . . . genus hic Rheno iactabat ab ipso,

nobilis *erectis* fundere *gaesa rotis* —
 i. e. dum currus et equos flectit.

Apud Sil. Italicum *dextra* saepe est i. q. miles, vir, et iungitur cum verbis his vocabulis accom-
 modatis, ut 4. 406.

Adspicite! *has dextras* capti *genuere* parentes —
 vel 14. 238.

Henna Deum lucis sacram *dedit ardua dextram* —
 i. e. misit e sacris lucis milites suos, et 15. 385.

. . . sed *dextera* nostrae
 Tam similis non obscuras *mittatur* ad umbras —

i. e. vir tantus, mei similis virtute; inde dictiones: *mercari dextras*, *emere*, *legere*. Perinde arma
 sunt pedites armati Valer. Flacc. 6. 582. — „quotque unus equos, quot funderet arma“ i. e. quot
 equites peditesque in fugam coniiceret. Atque quemadmodum *pampinus*, uvas vestiens, signum
 auctumni pro auctumno ponitur Catull. Priap. 20. 8., sic *sidera* recipit significationem *noctis*, Stat.
 Theb. 10. 299. (304.)

Traxerat insomnis cithara ludoque *suprema*
Sidera iam nullos visurus Alimenus ortus —
 i. q. noctem sibi supremam cantando et ludendo transegerat, simili dictione, atque apud Valer. Flacc.
 2. 371. *nimbos educere luxu* i. q. tempus nimbosum luxuriando traducere. Haec quodammodo expli-
 cari possunt, at quae leguntur Stat. Theb. 5. 459.

Jamque exuta gelu *tepuerunt sidera* longis
 Solibus et velox in tergum revolvitur annus —
 plane abnormia videntur; sensus est longis diebus tepuit aer. *Soles* sane metaphorice dicuntur *dies*,
 sed apud Claudian. de IV. cons. Honorii 215.

Sustinet *accensos* aestivo pulvere *soles* —
 est i. q. *calores*, qui aestivo tempore pulvere etiam augentur nec necessaria Heinsii emendatio: *aesti-*
vos accenso pulvere *soles*. — Ut *sol*, sic etiam *orbis* miram recipit notionem; apud Tibull. 1. 2. 50.
 „aestivo convocat orbe nives“ est i. q. *coelum*, sed plane obscura apud Valer. Flacc. 7. 560.

*) *Pennam* pro *sagitta* dici omnibus notum, ut *ceram* pro *tabella*.

Stabat, ut *extremis desertus ab orbibus axis* —
i. e. Septentrio, qui solus manet, dum aliae stellae merguntur; *orbes* igitur h. l. significat stellas;
axis septentrio, ut *medius axis* i. q. meridies. cf. Cortium Lucan. 2. 586. Sed haec quodammodo
minus huc pertinent. At pars pro toto est insolentius posita Martial. Epigr. 3. 82. 18. *turba pedum*
i. e. puerorum ad pedes stantium et Epigr. 14. 96.

Vilia sutoris calicem monimenta Vatini

Accipe; sed *nasus longior ille* fuit —

ubi Vatinius ipse dicitur *nasus*, i. e. homo derisor, criminator, et plane absona ibd. 2. 36.

Nec tibi *mitrarum*, nec sit tibi *barba reorum* —

i. e. mitras gestantium, i. e. molliorum et effeminatorum hominum barba, quae accurate depilata est.
Ibd. 14. 27.

Captivis poteris cultior esse *comis* —

i. e. *pulchritudinem comae* Germanorum comae tuae elegantia superare potes. — Nec praetereunda
illa apud Catull. 63. 64.

Ego gymnasii fui flos, ego eram *décus olei* —

miro modo sane positum pro *palaestrae*, perinde atque 64. 16.

viderunt . . . corpore *nymphas*

nutricum tenus extantes e gurgite cano —

ubi *nutrices* significat *mammas*; et ibd. 63. 367. *vincula* i. q. moenia. Sic miscentur notiones *nubes*
et *torvitas* insolenter apud Valer. Flacc. 2. 500. de portentis maris;

. . . cuius stellantia *glauca*

Lumina *nube* tremunt —

quae quanto audacius dicta sint, quam illud Horatianum Epist. 1. 18. 94. *nubem supercilio demere*
vel *nubes frontis* apparet. Quicum cf. Argonautic. 6. 685.

At quotiens vis dira ducum densique repente

Aesoniden pressere viri cumque *omnis* in unum

Imber iit, totiens saxis pulsatur et hastis —

i. e. quotiens in unum Jasonem *omnium impetus* fiebat, omnes in eum ruebant, animus Medae ad-
spectu hoc quasi ictibus pulsabatur; — quae plane absurda videtur vocabuli positio. Nota sunt,
totum pro parte poni; *silva* vel *nemus* pro *arbore*; ut apud Lucan. 1. 453.

. . . *nemora alta* remotis

Incolitis *lucis* —

et *pratium* pro *herba*; at addito adjectivo *caerula*, *Neptunia* est i. q. mare. v. Vahlen reliq. poes.
Ennian. p. 24.*)

§. 11. Nonnunquam *res* ponitur pro eo, quod in ea invenitur, *locus* pro eo, quod in eo loco
fit vel factum est, et contra. Etiam hoc in genere mirifica inveniuntur. — De locis Propertii, ubi

*) Absona illa apud Lucan. 10. 1. „Pompei colla secutus“ i. e. Pompeium securi occisum.

adtributum locorum nominibus additur, quod in homines, non in loca cadit, ut apud Propertium 4. (5.) 8. 1.

Disce, quid *Esquilias* hac nocte *fugarit* aquosas —
cf. Hertzberg. Quaest. p. 152., qui locos huc facientes explicavit omnes praeter unum 3. (4.) 17. 15.

Ipse seram vites *pangamque* ex ordine *colles* —
quamquam non *colles* panguntur, sed vites in collibus.

Sic *montibus* additur epitheton, quod refertur ad silvas, quibus mons consitus est, ut Valer. Flacc. 4. 321. *Eryx* dicitur *annosus* et ibd. 7. 55.

Ante meus caesa *descendet Caucasus* umbra

Ac prior Haemonias rapiet super aequora praedas —
i. e., ut Burmannus explicat: „potius quam Pelias potietur vellere, ex Caucasi arboribus naves fabricabor et prior ex Thessalia praedas rapiam.“ *Mons descendere* dicitur, cuius arbores caeduntur. Eadem notionum confusio Stat. Silv. 4. 4. 14.

Ardua iam densae *rarescunt moenia* Romae —

i. e. numerus incolarum urbis imminuitur, proceribus media aestate hinc inde aestivatum proficiscen-
tibus. — Notum est, *mensam* esse i. q. accubantes non modo illo a lexicographis prolato versu Suetonii Octav. 70., quem Bremius recte explanavit, sed etiam Petron. Sat. 43. et Valer. Flacc. 1. 45.

— hospita vina

Inter et *attonitae* mactat solennia *mensae* —*)
quemadmodum *exitia* — *exsilia* locum significant, ubi miseri sunt. Senec. Thyest. 1020.

Phlegethon arenas igneus totas agens

Exitia super nostra violentus fluat; —

stabula pro *equis* stabulantibus Sil. Ital. 3. 383.

Septimaque *his stabulis* longissima ducitur aestas —

i. q. equi illi non vivunt ultra septem annos; — et *terrae* pro hominibus in terra viventibus. cf. interpts. Sil. Ital. 3. 75., qui idem 8. 564. *urbem metere* dixit „Qui *Batulum Nucrasque metunt*“, quod utut audacius dictum, tamen minus offendit quam illud apud Persium 4. 16. „*Anticyras* melior *sorbere meracas*“ i. e. helleborum, — vel Martial. Epigr. 12. 57. 9.

Illinc *paludis malleator* Hispanae

Tritum nitenti fuste verberat saxum —

i. e. *linum* vel saetaba, quae in paludosis locis Hispaniae seruntur, in saxo fuste tundit. Scimus, h. l. praeferrī alteram lectionem *ballucis*, cum vocabulum *malleator* magis ad metalla et monetam accommodatum sit, at duo sunt loci apud Martialem, ubi *palus* similiter usurpatum est. Epigr. 14. 38.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Texantur *reliqua* tecta *palude* tibi —
calamis, qui in aliis paludibus nascuntur, utere ad munienda tecta; et ibd. 14. 160.

*) Martial. Epigr. 27. libell. de spect. „Sextiliane, bibis quantum *subsellia* quinque Solus“ ridenda videtur hyperbole — quantum equites in *quinque subselliis* sedentes.

Tomentum concisa palus Circense vocatur — i. e. palea vel in paludibus crescens arundo *concosa* a pauperioribus *tomentum* vocatur. Huic appositum et perinde insolens ibd. 14. 118.

Massiliae fumos miscere nivalibus undis — Parce —

i. e. *vinā* Massiliae, in fumo inveterata. Aliter coloratus locus Claudian. in Rufin. 2. 244.

Si *calcare Notum* secretaque litora Nili Nascentis jubeas —

ubi *Notus* significat regionem, in qua flat; inde *calcare*. At plane abnormis dictio de raptu Proserp. 3. 316. ubi Ceres dicit: *Accingor lustrare diem*. *Dies* est h. l. *sol* atque hic ponitur pro loco, quo lucet, hoc sensu: quemcunque locum sol videt et ubicunque diem facit. *Dies* enim est etiam *pars* vel *plaga* mundi. cf. Lucan. 7. 189.

Sub quocunque diē, quocunque est sidere mundi — Inde *mutare diem* i. q. migrare, solum mutare. v. Cortium ad Lucan. 8. 217.

Pharsalia pro clade *Pharsalia* pluribus locis apud Lucanum legitur; cf. 1. 38.

... diro *Pharsalia* campos Impleat et Poeni saturenter sanguine manes — ut 6. 313. ubi v. Cortium; perinde ac 7. 800.

... non illum Poenus humator Consulis et Libya *succensae lampade Cannae*

Compellunt — i. e. consul sive ceteri Romani ad Cannas occisi, ut ibd. „coeloque nocenti Ingerit *Emathiam* — i. e. aerem infectum cadaveribus illic iacentibus. Nota sunt illa Ovidii Metam. 14. 472. „*cumulumque Capharea cladis*“ — et quod iam supra commemoravi, Sil. Ital. 1. 61. *avet Aegates abolere* i. q. memoriam cladis ibi acceptae.

Ara et altare non modo deum significat, cui ara est sacrata, ut Ovid. Metam. 15. 574. „*Placat odoratis herbosas ignibus aras*“ sed etiam ipsa sacrificia, quae altaribus imponuntur, libamina, ut *pateris altaria libant*. cf. Servium ad Eclog. Virg. 5. 66. *) — Inde figura, ex qua locus aliquid facere dicitur, quod hi faciunt, qui locum tenent; ut Ovid. Metam. 15. 635.: „*Cortinaque reddidit imo hanc adyto vocem*“ et multo insolentius Lucan. 5. 392.

... *fingit solemnia campus*

Et non admissae *dirimit* suffragia plebis,

Decantatque tribus et vana *versat* in urna —

quae omnia *Caesar* facit in campo regnans; — et Valer. Flacc. 1. 544. „*meae quercus tripodesque*

... hanc pelago misere manum.“ — Huc tandem pertinet illa nominum classis, si *locus* ponitur pro

*) Andax dictio Pers. 6. 47. *ingentes locat Caesonia Rhenos* i. e. simulacra Rheni redemptori minimum poscenti faciendi tradit.

homine, maxime in conviciis. Casaubon. ad Persium 2. 26. „Ut Lucilius carcerem appellavit hominem dignum carcere vel qui carcerem saepe inhabitavit, sic Persius h. l. dixit *bidental*, cui *bidental* est factum.“ Huic apposita *lupanar* Catull. 42. 13. i. q. mulier prostituti pudoris; *ergastula* pro servis; — *columbar* i. q. homo columbari dignus; — quae lexicographi habent; ut *pileus* i. q. homo amicus, nos nostraque tuens; contra *vomica* i. q. hostis. cf. Jahn. ad Macrob. Saturn. 1. 17. 25.

§. 12. Duo restant metonymiae genera, quae Hertzbergius ita copiose explicavit, ut nihil, quod sit addendum, habeamus. Alterum, cum *argumenta carminum* pro ipsis carminibus ponuntur. Unum tantum locum adiungimus Martial. Epigr. 11. 52. 17.

Ipse tuos nobis relegas licet usque *Gigantas*
Rura vel aeterno *proxima* Virgilio —
 i. e. poema de Gigantibus et opus de agricultura, simile Georgicis Virgilio. Alterum exposuit ad Propert. 3. (2.) 16. 37. cui illustrando proferimus ex Sil. Ital. 5. 536. „*surgit sublati campus arenis*“ et Lucan. 4. 117. „*vastos obliquant flumina fontes*“, ubi pleonasmus similis eius, quem vir doctus explicavit; *fontes* enim apud Lucanum sunt ipsae aquae, cursus earum.

Adiungamus tandem scriptioni huic caput de *neutris adiectivorum loco substantivorum* positis, quod sane cum argumento proposito minus cohaeret, tamen hoc habet cum eo commune, quod haec neutra abstracta propius accedunt ad concretorum notionem.*) Nullum magis abstractum, quam *nulla res*, ponitur in casibus, qui vulgo dicuntur obliqui, apud posteriores loco substantivi, quod sciunt qui Tacitum legerunt; — *omnia* iam apud Tibull. 2. 1. 9. „*omnia sint operata deo*“ idem est, atque *omnes* —, ut apud posteriores *totum*; *totum vicisti* i. q. omnes. cf. Spartiani Didius Julianus c. 22; — *humana* i. q. homines Lucret. de n. r. 3. 837. „utrorum ad regna cadendum *Omnibus humanis* esset;“ *divina* i. q. *θεοί* apud Macrobium pluribus locis. Saturn. 1. 11. 1. „quasi vero curent *divina* de servis“ ibd. 1. 17. 1. „sacrorum praesulem te esse . . . *divina* voluerunt.“ *Datum* est *donum*, qua de re apud Ovid. Metam. 6. 463. *ingentibus datis* — et Senec. de benef. 4. c. 20. „Ingratus est, qui in referenda gratia *secundum datum* videt.“ Huc referenda Virg. Aen. 5. 290. *exstructum* absolute positum pro suggestu; *editum* i. q. altitudo Mamertin. Gratiar. actio Juliano Aug. c. 10; — *interfluum* i. q. *mare* Avien. Ora marit. 311; — et ibd. v. 262. *prominens* i. q. promontorium. Sed haec in praesens mittamus nec explicabimus ea, quae cum genitivo substantivi iunguntur, ut apud Senec. Epist. 17. (2.) 102. „Cum venerit dies, qui *mixtum hoc divini humanique* secernat;“ — Gellius 17. 9. *opertum literarum* i. q. arcanum; — Tacit. Hist. 4. 50. „*obscurum adhuc coeptae lucis* domum proconsulis irrumpunt;“ — Annal. 6. 24. „*factorum dictorumque eius descripta* recitari iussit“ i. q. *ἀπόγραφα*; — ibd. 11. 4. *de admissis Poppeae* i. e. sceleribus; — Sil. Ital. 6. 455. *Consultata Senatus* et ibd. 8. 217. *ex inconsulto Senatus* i. e. ex temerario consulto Senatus; — et vel in su-

*) O. Jahn in commentario Persii 2. 78. dicit Obbarium ad Horac. ep. 1. 2. p. 39. de constructione hac disputasse; equidem locum hunc non potui invenire.

perlative Plaut. Asin. 3. 3. 147. „*Meritissimo eius* quae volet faciemus;“ — Prudent. Peristeph. 13. 20. *profunda Christi* i. q. mysteria — et quae sunt id genus alia, nondum, quod sciam, ratione certa digesta atque explanabimus h. l. hanc constructionis rationem, ex qua neutra haec non genitivum nominis, sed alterum adiectivum adiunctum habent. Primam efficiunt classem, quae sunt epitheta maris eademque pro mari ponuntur. Auctor Halieut. 6. apud Wernsdorf. T. I. *Spumea purpureis* dum sanguinat unda *profundis* — i. e. in imo mari. Sic apud Auson. Mosell. 28. *vitreum profundum* — Incerti vot. ad Ocean. 10. (Wernsdorf. IV. p. 316.) *glaucum profundum* et passim apud poetas nec singula exempla proferre operae; hoc tantum addam, etiam de inferis sic dici Senec. Oedip. 575.

... sive tentari *abditum* — Acheron *profundum* mente non aequa tulit. *Caerula* ita usurpari, notum omnibus; cf. Sil. Ital. 14. 380.

Caerula nigranti findit *spumantia* sulco — et apud Rutil. Itinerar. 1. 316. „Mons . . . *caerula* curva premit“ i. e. mare; quod processu montis curvatur, quasi submovet; ut ibd. 2. 30. . . *caerula Etrusca*. Huc pertinent *altum*; ut apud Priscian. Perieg. *Aegaeum altum*;*) — et *humida*, ut apud Lucil. Aetna 336. — *nubes pigra humida* circumstupere dicitur i. q. quieta et sopita maria.

Altera classis est nominum, quae terrae qualitatem denotant. Saepe legitur sic *culta*. Virgilium Aen. 8. 63. 10. 141., ubi prostat *pinguia culta*, imitatus Claudianus dicit in Probrini et Olybr. cons. 53. per *Lydia culta* despumat Pactolus arenas — et Mamertin. Panegy. Geneth. Maxim. c. 4. *suorum cultorum* vastator — i. e. suae terrae. Plane sic *arata* ponitur Propert. 1. 6. 32. *Lydia arata* (tingit Pactolus). — Inde *devia*, *invia*, *avia* substantivi naturam induerunt. Claudian de IV. cons. Honor. 482.

Miranturque novas *ignota per avia* valles — et de raptu Proserp. 2. 167. *latebrosa rimatur devia* — quemadmodum Sil. Ital. 3. 632. *deveixa per invia* et ibd. 12. 376. *nemorosa per invia*. Huc referenda *inhospita*; cf. Sil. Ital. 4. 751. *tanta inter inhospita* i. e. locis tam desertis; tum *praerupta*, *abrupta*, *declinia*; Sil. Ital. 3. 634.

... sed prona *minaci* — *Praerupto* turbant et cautibus obvia rupes — quae tautologiam exhibent languidam; — et Lucan. 2. 421. *Dexteriores* petens montis *declinia* — ut Virgil. Aen. 6. 788. *supera alta tenentes* i. q. *δπέριστα δώματ' ἔχοντες*. Apud Stat. Theb. 10. 516. de equis: . . . *immane paventes abruptum* potest esse *ingentem voraginem*, sed *immane* etiam ad *paventes* trahi potest adverbii loco i. q. *valde*.

Sequantur quae ad *coelum* referuntur et *aerem*. Passim legitur *convexa*, quod vocabulum aut *ardua* epitheton adjunctum habet, aut *supera*. Halieut. alt. 86.

*) Affectata nimis illa apud Valer. Flacc. 3. 429.

... *ardenti nitidum iubar evocat alto* — i. e. precibus ad Solem factis evocat eum ex alto, quod surgente sole ardescere videtur.

Ardua turbinibus mundi *convexa* sonoris — *Impelli* — et Senec. Hippolyt. 220. *convexa tetigit supera*; cf. Symmach. Epist. 1. 46. — Alterum est *serenum*, quod saepe pro substantivo ponitur et sensu translato etiam usurpatur. Jam apud Virgil. Georg. 1. 393. *serena aperta* legimus; Stat. Theb. 11. 135. *dulci terrae caruere sereno*; ibd. 5. 11. de gruibus: *Phariis defensa serenis*; Sil. Ital. 5. 58. *Caligo . . nitido resoluta sereno*; Mamertin. Gratiar. actio Juliano Aug. c. 28. *nitentia per orbem serena*. Ambigua sunt, quae apud Valer. Flacc. 1. 332. dicit Alcimedea Jasonis discessu anxia:

Nec de te credam nostris ingrata serenis — nam potest esse sensus: ingrata in deos non credam, etiamsi boni aliquid de te comperero; aut, ut Burmannus explicat, non credam diebus serenis in terra, putans te fortasse maxima pericula in mari subire. In metaphorico usu huius vocabuli poetae recentiores luxuriabantur; ut Claudian. de. IV. cons. Honor. 183. *Risitque tuo Natura sereno* — i. e. fulgore, claritate, quam tu effundebas; Incerti Epithal. Auspicii et Aell. 27.

Blandito dominam venerata sereno. Tertium sic est usurpatum *nubilum* Senec. Oedip. 45.

Tristisque mundus nubilo pallet novo — i. e. vapor terrae incubuit et lunam stellasque nubibus subito texit. Apud Virgil. Georg. 4. 196., ubi apes adverso vento volantes, lapillis veluti saburra oneratae, dicuntur se librare per *inania nubila*, incertum, utrum nomen sit substantivum; nam *inane* absolute usurpari pro loco inani et sic dici *immensum inane*, *vastum inane* — omnes sciunt.

Sunt etiam, quae *rem* vel *qualitatem*, quam vulgo dicunt, indicent. *Pingue* pro pinguedine est apud Lucret. de n. r. 1. 257. . . hinc *fessae* pecudes *pingui* (sic enim edidit Lachmannus); et addito adjectivo Virg. Georg. 3. 124. *denso distendere pingui*, vel Persius 3. 32. *fibris increvit opimum pingue*. *Color* sic significatur Ovid. A. A. 1. 291.

Signatus tenui media inter cornua nigro — i. e. nigra macula; ut apud Sil. Ital. 16. 349. de equo:

. . . et patrio pes omnis concolor albo — i. e. albedine quasi hereditate a patre accepta. Non pertinent hunc Lucretii 6. 92. *praescripta candida calcis*. — Res significatur satis insolenter hac figura; *acutum* est clavus; inde *acutum aeneum* χαλκοῦς ἥλος; *acutum cuprinum*. cf. interpts. Macrobian Saturn. 7. 16. 16.*); *opertum* i. q. fornax tecta, hypocaustum Auson. Mosell. 338. *ferventi Mulciber haustus operto*. — Jam recenseamus, quae ad animum magis et conditionem hominum referuntur. Quemadmodum *praeceptum*, *dictum*, *iussum* — alia substantivorum naturam induerunt, ita ad hanc analogiam dixit Lucret. de n. r. 1. 137. *Grajo-rum obscura reperta* et 1. 733. *praeclara reperta*; Virgil. Aen. 10. 111. *sua exorsa*; Sil. Ital. 5. 363. *Garamantica monstrata* i. g. Hammonis praecepta; — ut ibd. 13. 35. *memorata antiqua* parentum.

*) Sic obscene dictum Catull. 80. 6. *grandia tenta*.

Est etiam apud Cicer. in Verrem 5. 53. locus, non immerito ab interpretibus impugnatus: *satis est factum promisso nostro ac recepto*. Zumptius ad defendendam lectionem profert ex Philipp. 2. 32. *promissum et receptum intervertit* — at haec differunt, nam nullum additum habent attributum. Quemadmodum *propositum* recte praecipunt apud classicos scriptores non recipere pronomen possessivum vel adjectivum, posteriore demum aetate *propositum* substantivi modo usurpari coeptum est; cf. Quintil. Instit. 9. 1. 7. „ad *praesens meum propositum* hoc non pertinet“ et sic apud Senec. de benef. 4. c. 21. Epist. 1. 5. et alibi. *Receptum* apud Ciceronem iure sic positum offendit. Apud Tacitum sane etiam hoc in genere nove dicta inveniuntur. Notum est illud Annal. 3. c. 70., ubi Capito dicitur *egregium publicum* et bonas domi artes dehonestavisse i. e. integritatem vitae suae publicae, laudem reipublicae bene gestae, quod alio sensu dicitur ac *pessimum publicum* apud Liv. 2. 1. „neque ambigitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriae Superbo exacto rege meruit, *pessimo publico* id facturum fuerit“ i. e. summo reipublicae damno, ut apud Varron. R. R. 1. 13. f. „Cum Metelli ac Luculli villis *pessimo publico* aedificatis certant“ i. e. mala exempla imitantes. — Apud Sil. Ital. 12. 407. lectio incerta:

... Nimium, juvenis, nimiumque *superba*

Sperata hausisti —

i. e. *spem* nimis *superbam*; nam nunc recepta est lectio *superbi*, i. e. *spem* *superbi* hominis. Verum *honestum* sic usurpari constat. Celebratissimus est versus Persii Sat. 2. 74.

... et incoctum *generoso* pectus *honesto* —

cui conferendum Lucan. 2. 389. *rigidi servator honesti*; at apud Claudian. in Rufin. 1. 200.

... contentus *honesto*

Fabricius *parvo* —

parvum et substantivum, *honestum* adtributum. Similiter dicitur *justum*, *aequum*; cf. Valer. Flacc. 5. 499. *sancitque potentia iusti* i. e. aequitatis lege sancitae et 3. 648.

... et *haud ullis* unquam *superabilis aequis*

Rectorumve *memor* —

i. e. nulli unquam aequitati cedens; — etiam *verum*; Macrobi. Saturn. 1. 7. 18. „ex *meri veri* fonte rationes“ — ubi Meursius *meri* delendum esse putabat haud dubie ob constructionis insolentiam, non quod de significatione vocabuli dubitaret, quae Jani sententia esse videtur.*) Nec improbanda Bothii emendatio, qui in Incerti auct. Octavia 665.

*) Habet hoc sane Macrobius, quod neutris adjectivorum plerumque cum genitivo nominis conjunctorum insolentius utitur. cf. Comment. in Somn. Scip. 1. 8. 4. „Atque ita fit, ut secundum hoc tam rigidae definitionis *abruptum* rerum publicarum rectores beati esse non possint.“ Quae Gronovius h. l. profert, plane non conveniunt. *Abruptum definitionis* est i. q. praefracta et abscissior definitio — ut Saturn. 2. 1. 5. „ut puella *saltationis lubrico* exerceret ... philosophantes“ quae aliter dicuntur, quam Comment. in Somn. 2. 12. 16. „secundum verae *rationis adserta*“ vel Saturn. 1. 7. 15. „ut non omnino *religionis suae observata* confunderent“ i. q. praecepta, instituta. Sed haec h. l. mittamus nec diligentius percensere possumus; quamquam accuratior eorum explicatio nonnunquam desideratur. Unum tantum exempli causa commemorabimus. Comment. in Somn. Scip. 2. 5. 12. legimus: „*spatium*, quod et *lato* et *ambitu* prolixius occupavit“, ad quae illustranda Jahnus profert ex Ovid. Metam. 1. 336. „*in latum* quae turbine crescit ab imo“ — quod omnino aliter se

Scelerum diri, miseranda, viri,
Potes haec, demens, sperare memor? —
ut conjunctio trium epithetorum vitetur, *hoc clemens* i. q. *hanc clementiam* legendum censet.

Sic quae fortunam prosperam aut adversam significant usurpantur. Sil. Ital. 5. 372. „*meis medicamina nulla* — *Adversis maiora feres*“ i. e. mihi infelici; ut Prudent. Psychom. 695. „*prospera nostra vulnerat*“ i. q. nostram felicitatem subvertit; — ut Peristeph. 14. 107. „*triste longum*, nunc breve gaudium.“ Atque ferenda fortasse antiqua lectio apud Symmach. Epist. 2. 7. „*si periculosis desit suorum*“, ubi nunc *periculis* substituunt. Nam similiter libd. 7. 68. „*Deos precor, ut tua secunda proficiant*“ i. e. ut tua felicitas augeatur; — et 6. 67. „*si validius justa nostra defenderit*“ i. q. ius nostrum; — 9. 105. „*publica falsa titulorum*.“ Prudent. Cathemer. 2. 35. „*inepta sua*“ pro *ineptias*; Macrobr. Comment. in Somn. Scip. 2. 4. 11. „*tonorum et limmatum minuta subtilia* i. q. minutae differentiae.“ Tandem Auson. Parent. 18. 5.

Tranquillos Manes *supremaque mitia* Sancti

Ore pio et verbis advenerare bonis —

i. q. *mitem obitum*.

Jam reliqua, quae de hac coniunctione duorum adjectivorum commemoranda erant, cum ab argumento proposito aliena sint, h. l. mittere cogimur. Dico illa adjectiva, quae omisso substantivo substantivi significationem accipiunt, ut *molaris* (lapis), *cani* (crines), *opima*, *genialis* (torus) — quibus omnibus alterum adjectivum additur. Apud Claudian. de raptu Proserp. 3. 350. *fumantia gestat opima*; — *cani honorati* non modo apud Ovid. Metam. 8. 9., sed multo audacius Prudent. contra Symmach. 2. 1077. „*decrepitis obtendere flammea canis*“; Sil. Ital. 1. 335. „*effundit vastos ballista molaes*“; Juven. 10. 334. *Tyrius genialis* i. e. lectus Tyrio stragulo ornatus; *ima vitalia* et quae sunt id genus alia. Nec explanatus, quod sciam, usus adjectivorum, quae *hominum* epitheta substantivorum loco posita, alterum adtributum adjunctum habent; cf. Ovid. A. A. 1. 355. *conscia fida*; Catull. 13. 6. *venuste noster*; — Carm. Priap. 50. *pares nostri* i. q. aequales; — *veteres nostri* i. q. majores; Ammian. Marcell. 27. 4. in ditionem *veterum nostrorum*; — Prudent. Peristeph. 10. 878. „*Ne morte simpla criminosus multiplex Cadat*“ qui tot tantaque commisit scelera. — Ad analogiam novata apud Tacit. Annal. 6. 26. *continuus principis* i. q. intimus principis, ubi quae Waltherus profert, minus apposita nec legitur apud Sueton. Tib. 61. simpliciter *Seiani notos*, sed *Sejani familiares atque etiam notos*, quo durities constructionis quodammodo lenitur. Cadentis sunt latinitatis *unanimus meus* Symmach. Epis. 7. 82.; — *susceptus meus* i. q. cliens Ammian. Marcell. 30. c. 4.; *genitus meus* i. q. filius Prudent. Cathemer. 5. 157. et quae sunt id genus alia.

habet; in latum crescit dictum ut in *immensum* (vel *immensum*) crescit et similia, unde colligi non potest, haec absolute substantiva esse. Fortasse magis appositum Tacit. Annal. 2. 23. „*hostilibus circum litoribus, aut ita vasto et profundo, ut credatur novissimum ac sine terris mare*“, ubi alii *mare* ex sequenti membro sententiae supplent, alii *vasto et profundo* absolute accipienda esse putant.

Schulnachrichten

für

den Zeitraum vom 5. Oktober 1859 bis zum 14. August 1860.

Wiadomości szkolne

5. Października 1859 do 14. Sierpnia r. 1860.

I. Lehrverfassung 1859/60.

Die Lehrverfassung ist im verflossenen Schuljahre 1859/60 im Allgemeinen dieselbe gewesen, wie in dem vorangegangenen Schuljahre 1858/59, nur dass mehrere Male nicht unbedeutende Veränderungen in der Vertheilung der Lektionen unter die Lehrer in Folge von Krankheit, Beurlaubung, Abgang und Zugang (cf. Abschn. III.) haben stattfinden müssen. Die in diesen ersten Abschnitt der Schulnachrichten gehörenden Angaben sind in Folge dessen sehr umfangreich geworden, dass ihr Abdruck die durch die wissenschaftliche Abhandlung schon ohnehin grossen Kosten des Programms etatswidrig erhöht haben würde, weshalb ich mich für dieses Jahr auf folgende Mittheilungen beschränke:

A. Die Anstalt hatte 12 getrennte Klassen, nämlich: Prima, Obersekunda, Untersekunda, Obertertia A., Obertertia B., Untertertia A., Untertertia B., Quarta A., Quarta B., Quinta, Sexta und Septima.

B. In den an der Anstalt mit Genehmigung der Behörde eingeführten Lehrbüchern ist keine Veränderung eingetreten.

C. Die Aufgaben zu den schriftlichen Ausarbeitungen in den obersten Klassen waren folgende:

Prima.

A. Im Lateinischen (w języku łacińskim): Vita Lycurgi et eius in rempublicam Spartanorum merita. O.-Pr. — Quibusnam locis Alexander Magnus summa fortitudinis documenta dederit. U.-Pr. — Quibusnam exemplis vulgus probare soleat, honestatem cum utili pugnare. (Nach Cicero de offic. III.) O.-Pr. — Brevis enarratio belli primi et secundi Samnitici. U.-Pr. — Nihil perniciosius fuisse veteribus civitatibus, quam discordias civiles demonstratur. O.-Pr. — Marius et Cicero, duo viri Arpinates, rempublicam Romanam ex maximis periculis, alter bello, alter pace, liberaverunt. U.-Pr. — Varia de Augusto mortuo populi Romani iudicia. (Nach Tacit. Annal. 1.) O.-Pr. — Aemilii Pauli, Macedonum victoris, laudes. U.-P. — Enarrentur Tarquiniorum conatus regni recuperandi. Beide Pr. — Mithridates Ponticus Romanis fuit alter Hannibal. O.-Pr. — E bellis Messeniis res maxime memora-

I. Plan nauk 1859/60.

Plan nauk był w ubiegłym roku 1859/60 w ogółem ten sam, co w roku przeszłym 1858/59, tylko, że po kilka razy trzeba było poczynić bardzo znaczne zmiany w rozdzieleniu przedmiotów pomiędzy nauczycieli bądź to dla choroby, bądź dla urlopu, bądź też i dla tego, że nauczyciele częścią ubywali, częścią przybywali. (Patrz Roz. III.) Ponieważ więc przedmiot, do tego oddziału należący, takich przez to nabrał rozmiarów, iż kosztu druku programu, już i tak znaczne przez rozprawę naukową, byłyby przeszły sumę etatem na to przeznaczoną, przeto ograniczam się w tym roku na podaniu dat następujących:

A. Szkoła nasza składała się 12 klass oddzielnych, t. j.: z klasy Pierwszej, z Drugiej wyż., z Drugiej niż., z Trzeciej wyż. A., z Trzeciej wyż. B., z Trzeciej niż. A., z Trzeciej niż. B., z Czwartej A., z Czwartej B., z Piątej, z Szóstej i z Siódmej.

B. W książkach, zaprowadzonych w szkole naszej za zewoleniem władzy, żadna nie zaszła zmiana.

C. Zadania do piśmiennych wypracowań w wyższych klassach były następujące:

biles enarrentur. U.-Pr. — Maximos homines maxima urgeri invidia, exemplis demonstretur. O.-Pr. — De duabus expeditionibus in Siciliam susceptis, altera ab Atheniensibus, altera a Romanis. U.-Pr. — Extrema Germanici fata post reditum eius e Germania. (Nach Tacit. Annal. II.) Beide Pr. — Quinam factum sit, ut imperium Alexandri M. tam cito dilaberetur. U.-P.

B. Im Deutschen (w języku niemieckim): Auch die Natur ist ein Tempel Gottes. — Wodurch wurde Cicero veranlasst, mit solcher Heftigkeit gegen Antonius aufzutreten? — Die Zerstörung Troja's, nach Virgil geschildert. — Wodurch wurde der Ausbruch des Krieges zwischen Pompejus und Cäsar herbeigeführt? — Wodurch können wir uns im allgemeinen das Gelingen unserer Unternehmungen sichern? — Das Kościelisko-Thal, eine Uebersetzung aus dem Polnischen. (Wzory Prozy.) — Auch das Leben ist eine Schule. — Die Rückkehr der Herakliden und der Israeliten, eine Vergleichung. — Freundestreue, eine Erzählung nach Schiller's „Bürgschaft“. — Entwicklung des Grundgedankens in den Schiller'schen Gedichten: „das eleusische Fest“ und „der Spaziergang“. — Lessing's Leben mit Berücksichtigung einiger besonders wichtiger Abhandlungen von ihm. — Der Verfall des Ritterthums, nach Goethe's „Götz von Berlichingen“. — Die Macht des Gesanges, mit Berücksichtigung einiger hierauf bezüglicher Dichtungen von Schiller. — Das Kościelisko-Thal. (Fortsetzung.) — Worin zeigt sich hauptsächlich die Entartung des römischen Volkes in den letzten Zeiten der Republik? — Wodurch motivirt Schiller das Auftreten und den Fall der Jungfrau von Orleans? — Der Tod der Jungfrau von Orleans, nach Schiller's gleichnamigem Trauerspiel geschildert. — Die sogenannte Sturm- und Drang-Periode in der deutschen Literatur. — Versuch einer Charakteristik des Agamemnon und des Achilles. — Das Königthum bei Homer mit Belegstellen aus der Ilias und der Odyssee. — Charakteristik des Antonius in Shakespeare's „Julius Caesar“. — Ueber den Einfluss der Lectüre, mit Beziehung auf Goethe's erste „Epistel“. — Das Kościelisko-Thal (Fortsetzung). — Die Bestrebungen und Verdienste der sogenannten Romantiker in der deutschen Literatur. — Versuch einer Charakteristik Egmonts in Goethe's gleichnamigem Trauerspiel.

C. Im Polnischen (w języku polskim): Czasy Mieczysława I. w historii polskiej. — Jak cię widzą, tak cię piszą (Extemp.). — Sztuka drukarska jakim sposobem wpłynęła na zmianę stosunków średniowiecznych w ogóle, a mianowicie w Polsce? — Sąd Libuszy. — Porównanie poezji dramatycznej z Prozą oratorską. Polska za panowania Zygmunta I. — Jakie pobudki zniewalają człowieka do postępu (Extemp.). — O stosunku języka łacińskiego do literatury polskiej. — Niebezpieczną jest zbyt pewność siebie. (Extemp.) — Przez co Grecy zapewnili sobie znaczenie swoje w dziejach ludzkości. — „Raz tylko żyjemy na świecie“ — do czego nas ta myśl powinna pobudzać? (Extemp.)

Ober-Secunda.

A. Im Deutschen (w języku niemieckim): Thue recht und scheue Niemand. — Ueber die Sitte der Aegypter, Gericht über ihre Todten zu halten. — Rede Alexanders des Grossen an seine Krieger vor der Schlacht am Granikus. — Auf welche Weise ehrt man das Andenken der Männer, welche sich um die Menschheit verdient gemacht haben, am passendsten. — Imieniny Niemcewicza, eine Uebersetzung aus dem Polnischen (Wzory Prozy). — Charakteristik des Alcibiades. — Imieniny Niemcewicza, Fortsetzung. — Der Mensch denkt, Gott lenkt. — Auf welche Weise bemüht sich Isabella, die Fürstin von Messina, ihre Söhne Don Manuel und Don Cesar, zu versöhnen? — Imieniny Niemcewicza, Fortsetzung. — Beschuldigt man den Hannibal mit Recht, dass er wohl verstanden habe zu siegen, nicht aber, den Sieg zu benutzen? — Die Entstehung des Standes der Optimaten in Rom. — Welchen Einfluss hatten die punischen Kriege auf den Zustand der Römer? — Das Mickiewicz-Thal, eine Uebersetzung aus dem Polnischen. (Wzory Prozy). — Schilderung der inneren Zustände Rom's zur Zeit der Parteikämpfe zwischen Clodius und Milo. — Die Ermordung des Clodius, nach Cicero's Rede für den Milo wiedererzählt. — Wodurch

wird die Verwicklung der Handlung in Schiller's „Braut von Messina“ herbeigeführt. — Aemilius Paulus, ein Bild altrömischer Tüchtigkeit, nach Plutarch. — Das Mickiewicz-Thal. (Fortsetzung.)

B. Im Polnischen (w języku polskim): Skutki podziału kraju po śmierci Bolesława Krzywoustego. — Treść listu Krasickiego do Naruszewicza o pisaniu historyi. — Siebie zwyciężyć, największe zwycięstwo. — Cudze wiedzieć rzeczy ciekawa jest, a swoje potrzeba (Fredro I., 31.). — Niebo nie umysł tacy odmieniają, którzy po rozum za morze biegają. — Krótki opis pierwszej wojny messenkiej. — Porównanie Fenicii z Anglią. — Czy można mówić poprawnie ojczystym językiem nie poznawszy jego grammatyki? — Podział pracy w piśmiennictwie jest warunkiem jej dokładności. — Kilka uwag nad początkiem pierwszej pieśni olimpijskiej Pindara: „Ἀριστον μὲν ὕδωρ“. — Jak należy podróżować, aby poznać kraj własny? — Najmymowniejszy zazwyczaj ten, kto mówi z przekonania.

Unter-Secunda.

A. Im Deutschen (w języku niemieckim): Wie handelt ein wahrer Freund? (Klassenarbeit.) — Pasterstwo w Tatrach, eine Uebersetzung aus dem Polnischen. (Wzory Prozy.) — Welche Vortheile gewähren die Eisenbahnen? — Das Weihnachtsfest. — Pasterstwo w Tatrach, eine Uebersetzung aus dem Polnischen. (Fortsetzung.) — Ein Sommermorgen auf dem Lande. (Klasse.) — Der Fleiss der Jugend begründet das Glück des Alters. — Pasterstwo w Tatrach, eine Uebersetzung aus dem Polnischen. (Fortsetzung.) — Gedanken auf einem Kirchhofe. (Klasse.) — Welche Eigenschaften entwickelt der Apotheker in den drei ersten Gesängen des Epos „Herrmann und Dorothea“ — Uebersetzung aus Wzory Prozy. — Odysseus kehrt in seine Heimath zurück und tödtet die Freier seiner Frau (Klasse.) — Worin bestehen die Hauptmängel der Verfassung des Lycurgus und einzelner seiner Einrichtungen. — Der Strebsame und der Nachlässige. — Vortheile des Friedens. (Klasse.) — Perikles Verdienste um den athenischen Staat.

B. Im Polnischen (w języku polskim): Potęga przykładu (Klassenarb.) — O niebezpieczeństwie zbyt technych wygód dla młodzieży. — Obraz samoluba. — Geniusz a talent. — Jaki wpływ wywierają stosunki jeograficzne na usposobienia i charakter narodu. — Czy prawdę zawierają słowa Pliniusza: „homini ex homine maxima mala“. — Porównanie powrotu Heraklidów do Peloponezu z powrotem Żydów do Palestyny. — Takim się okazuj, jakim jesteś w istocie. (Klassenarb.) — Przeciwności życia umysł nie pognebiać, ale hartować powinny. — Tylko wierny dopomoże, tylko czysty obmyć może. — Obraz wychowania u Spartan. — O sztuce dramatycznej. — Długo myśl, prędko działaj. (Klassenarb.) — Dla czego nazywamy wiek Zygmuntowski „wiekiem złotym“. — Czy w dostatkach, czy w ubóstwie bezpieczniejszą jest cnota? — O wdzięczności (w formie listu).

Die Themata zu den Abiturientenarbeiten waren:

Zadania do robót piśmiennych przy *examinach* abiturienckich były następujące:

- | | | |
|-----------------------|---|---|
| Im Lateinischen: | { | Fatalis erat Romanis dies Alliensis, multo fatalior Graecis dies Chaeroneensis. |
| W języku łacińskim: | | Hannibal laudatus et contra obtrectatores defensus. |
| Im Deutschen: | { | Die Parteikämpfe zwischen den Patriciern und Plebejern mit besonderer Hinweisung auf die licinischen Gesetze. |
| W języku niemieckim: | | Was bezweckte Perikles mit seinen Einrichtungen und was hat er durch sie erreicht? |
| Im Polnischen: | { | O Karolu XII'tym. |
| W języku polskim: | | Charakterystyka trzeciego okresu w literaturze polskiej, akademickim czyli schołastycznym zwanego. |
| Griechisches Extemp.: | { | Nach Herodot I. II. c. 52., 53. |
| Greckie Extemporal.: | { | Herodot I. I. cap. 29., 30. |

- Polnische:* { Welter's Weltgeschichte III. Th. S. 131. Wallensteins Ermordung.
Polskie: {
Lateinische: { Cicero. Quaest. Tusc. V. c. 20.
Łacińskie: { Muret. Var. lection. lib. 18. c. 15.
Französische: { nach Sarrasin: Conjuración de Walstein p. 218.
Francuzkie: { nach Voltaire: Histoire de Pierre le Grand p. 227.
Hebräische: { I. Regum Cap. XVII. 2—9 incl.
Hebrajskie: { Genesis Cap. XXIX. 1—5. incl.
- 1) Es soll der Unterschied zwischen dem Inhalte eines geraden Cylinders und dem eines regelmässigen in demselben gedachten gleich hohen 24seitigen Prismas bestimmt werden, wenn die gemeinschaftliche Axe dieser Körper 15mal grösser ist, als der $6,8228''$ betragende Halbmesser des Grundkreises des Cylinders.
- 2) Wenn der Flächeninhalt eines Kreisausschnittes, dessen Bogen $42^{\circ} 30'$ beträgt, gleich dem eines Dreiecks ist, in welchem zwei Seiten $37,935'$ und $52'$ und der von ihnen eingeschlossene Winkel $54^{\circ} 10' 25''$ betragen, wie gross ist der Halbmesser des Kreises?
- 3) $\frac{15}{x} - \frac{36 - 3x - x^5}{x^2} - 6(x^2 - 2x) - 10 = (x - 2)^3$.
- 4) Wenn man von der Gesamtzahl der Kugeln in einem Kugelhafen von quadratischer Grundfläche den dritten Theil derjenigen Zahl abzieht, welche man erhält, wenn man die Zahl der Kugeln in der untersten Schichte mit der Zahl der Kugelschichten multipliziert, so erhält man $51\frac{3}{4}$. — Man will wissen, aus wie vielen Schichten der Kugelhafen besteht.
- Mathematische:* { 1) Der körperliche Inhalt eines Cylinderausschnittes soll aus folgenden Angaben berechnet werden: der Bogen der Grundfläche desselben enthält so viele Grade, als die Summe einer arithmetischen Progression von 7 Gliedern es anzeigt, in welcher das 2., 3. und 4. Glied zusammen = 39, das 5. aber = 20 ist; die dazu gehörige Sehne endlich so viele Fusse misst, als das Endglied dieser Progression es angiebt, und die Höhe des Cylinderausschnittes dieser Sehne doppelt genommen gleich ist.
Matematyczne: { 2) Wenn der Flächeninhalt eines Kreises gleich dem eines Rechteckes ist, in welchem die $8,47256''$ lange Diagonale mit der kürzeren Seite desselben einen Winkel von $58^{\circ} 45' 40''$ bildet, wie gross ist der Halbmesser dieses Kreises?
 3) Eine Kugelsehne S verhält sich zu ihrer Entfernung e vom Mittelpunkte der Kugel, wie der Werth der unbekannten Grösse in der Gleichung $\frac{3x}{4} + \frac{2x}{3} + \frac{r}{3} = \frac{75}{4}$ zu dem positiven Werthe der unbekannten Grösse in der Gleichung $x^2 - 2p^2 + px = 0$; welches ist die Formel für die Berechnung des kubischen Inhalts der Kugel: 1) wenn dieselbe die Entfernung der Sehne vom Mittelpunkte und die Verhältnisszahlen der Entfernung und der Sehne; 2) die Sehne und diese Verhältnisszahlen enthält? —
 4) $(x + 1)^6 - 6(x + 1)^5 + 3x(5x^3 + 15x + 8) + 261 = 0$.

II. Verordnungen der Behörden.

Vom 28. Oktober 1859. Mittheilung der neuen Unterrichts- und Prüfungs-Ordnung für die Realschulen und die höheren Bürgerschulen vom 6. Oktober 1859.

Vom 15. November 1859. Mittheilung der Instruktion für den geschichtlichen und geographischen Unterricht an den Gymnasien und Realschulen der Provinz Westfalen.

Vom 15. November 1859. Mittheilung der Bestimmungen über die Organisation der Kriegsschulen.

Vom 19. Januar 1860. Mittheilung des Ministerial-Rescripts vom 14. Januar 1860, welches bestimmt, dass sofern ein geprüfter Abiturient oder dessen Angehörige im Falle der nicht bestandenen Abiturientenprüfung es vorziehen, statt eines Zeugnisses der Nichtreife ein gewöhnliches Abgangszeugniss zu verlangen, ihnen ein solches nicht vorenthalten werde, in dasselbe jedoch am Schlusse die Bemerkung aufgenommen werden solle, dass der betreffende Schüler an der Abiturientenprüfung theilgenommen, dieselbe aber nicht bestanden habe.

II. Rozporządzenia władz wyższych.

Z dnia 28. Października 1859 r. Udzielono nowe rozporządzenie z dnia 6. Października 1859 dotyczące nauki i examinów po szkołach realnych i wyższych szkołach miejskich.

Z dnia 15. Listopada 1859. Udzielono instrukcją, dotyczącą nauki historii i geografii po gimnazjach i szkołach realnych prowincji Westfalskiej.

Z dnia 15. Listopada 1859. Udzielono przepisy dotyczące organizacji szkół wojskowych.

Z dnia 19. Stycznia 1860. Udzielono reskrypt ministeryalny z dnia 14. Stycznia 1860, który stanowi, że abiturient, który w examinie dojrzałości przepadł, albo też krewni jego, mogą żądać w miejsce świadectwa niedojrzałości, zwyczajnego świadectwa odejścia, w którym jednakże na końcu uwaga umieszczoną być ma, że uczeń ten examen dojrzałości wprawdzie odbywał, ale go niełożył.

III. Chronik des Gymnasiums.

Den 3. Oktober 1859 fand die Anmeldung und Prüfung der neuen Schüler aus der Stadt Posen, den 4. Oktober die der auswärtigen statt, worauf den 5. Oktober nach Eröffnung des neuen Schuljahres mit feierlichem Gottesdienste in der Gymnasialkirche die Einführung sowohl der versetzten als auch der neu aufgenommenen Schüler in die betreffenden Klassen des Gymnasiums und in die zwei Abtheilungen der Vorbereitungs-klasse oder Septima erfolgte.

